MICHAELIS KORYCKI

SOCIETATIS JESU SACERDOTIS

CARMINA.

POLOCIÆ

Typis Academicis S. J.

1817.

Imprimatur ea conditione, ut sex exempla legibus præscripta apud Censorum Collegium deponantur: unum videlicet in dicti Collegii usum, duo pro Ministerio publicæ institutionis, duo pro Cæsarea Bibliotheca publica, unum denique pro Cæsarea Doctrinarum Academia. Polociæ, die 15 Junii, 1817 anno.

P. Franciscus Dzierożyński S. J.
Collegii Censorum Socius.

Notitia de vita et scriptis Auctoris.

R. P. Michaël Korycki Lithvanus in Palatinatu Vilnensi, Districtu Lidensi nobilibus parentibus, Patre Alexandro, matre Theresia A. Dni 1714 *est natus. In hæreditario prædio Dzitryki puerili ætate transacta, studuit litteris in Scholis Societatis JESU Bobruysci. Ibi Divina motus vocatione in eligendo vitæ ulterioris statu, Rhetoricæ studio absoluto, vestigia Fratris sui majoris natu Caroli sequens, Ordini Societatis JESU nomen dedit. Solitis vitæ Religiosæ probationibus perfunctus, et studiis consvetis absolutis, magna cum laude docuit litteras humaniores. In his ne studium ejus retardaretur alio avocatum, Sacerdotio jam initiatus juniores sui Ordinis religiosos in eloquentia solutæ ligatæque Orationis à suis Superioribus erudire est jussus.*

Verùm latiorem campum suo studio procurandæ salutis animarum laudabiliter ambiens, supplicavit Superioribus, ut sibi piis populum concionibus è sacro suggestu liceret exhortari. Consecutus facile, quod optaverat, magno cum fructu auditorum tredecim annorum spatio tum Vilnæ in

Academico templo, tum alibi munus concionatoris obivit.

Sub id tempus, cum depravatus eloquentiæ gustus, obscurando splendorem litterarum, plurimum eisdem latiùs propagandis obesset; licet gravibus sui muneris occupationibus continuò distineretur, tamen unà cum fratre suo Carolo, cæterisque sociis sibi adjunctis succurrere misero statui litterarum non dubitavit; eodem fere tempore, quo R. P. Stanislaus Konarski in sua provincia Scholarum Piarum ei rei operam navabat. Quod non sine improbo quidem, diuturnoque labore, ex eorum tamen sententia magno cum sui Ordinis honore, ac rei litterariæ incremento adeo feliciter evenit, ut eorumdem tanquam instauratorum studiorum, deque Republica benemeritorum consilia, contentiones, industriam litterariæ annales ad posteritatis memoriam publicis literis non modo consignarint, verùm etiam singularibus laudibus extulerint.

Voluntate Superiorum suorum præfuit Rector Varsaviensi Collegio, regnante Augusto III. et Stanislao Augusto, cui imprimis charus fuit cum ob suavitatem morum, tum ob singularem in fundendis carminibus, præsertim latinis facilitatem, quæ tanti æstimabantur, ut eorum aliqua Eruditissimus Vir Canonicus Kijoviensis Andreas Janozki non modo suo libro inscripto: Excerptum Litteraturæ Polonicæ, *in-*

serere, verùm etiam magnis laudibus cumulare non dubitaverit. Delatam deinde Præfecturam Provinciæ Masoviæ spatio quinque annorum cum gessisset, suppliciter ab A. R. P. Ricci suo Præposito Generali expetiit, ne ipsum in ullo Magistratûs gradu locaret, sed permitteret prædicationi Verbi-Divini in loco privato Bobruysci vacare.

Virum optimè cum de Ordine suo, tum de re litteraria meritum, ne fatalis quidem Ordinis sui ruina, quæ brevi consecuta est, oblivioni poterat dare. Non modò enim Rex Stanislaus Augustus eum Rectorem Gymnasio Minscensi præfecit, verùm etiam aureo numismate tanquam de re litteraria benemeritum cohonestavit. Hoc tamen pulcherrimo monumento, nobiliorem longè esse existimans Rex litterarum amans, ipsam ingenii tanti Pòëtæ effigiem carminibus expressam; enixè commendavit, ut omnia sua Carmina sibi Varsaviam regio sumptu imprimenda transmitteret.

Voluntati Regis, qua par est, modestia obsequens scripsit præfationem, qua eidem tanquam suo Mæcenati dedicat librum imprimendum sequenti Carmine:

„ REX AUGUSTE, meis mandas contraria votis:
„ Scilicet, ut metris, quæ languescente Minerva
„ Panxi, dem lucemque typô, vitamque perennem.
„ Has ego contemptas, tenuisque valoris opellas
„ Ad certas epulas tineis, blattisque reliqui,
„ Ut pariter cum auctore suo sint vermibus esca.
„ Neglectæ labor ipse suæ non inscius artis
„ Percupit ignotus tenebris, tumuloque jacere,

„ Consumique situ, potiusque teredine rodi,
„ Quam linguis hominum, quas juncta scientia famæ
„ Efficit audaces, et Momus reddit acutas.
„ At Rex cum jubeat Musas subducere Parcis,
„ Et tutas servare: nefas obsistere jussis.
„ Parendum: in lucem prodi, mea vilis opella:
„ Ut pretium sumas, REGIS te splendor inaurat:
„ Ut fugias crisim, REGIS te proteget umbra. „

Sed dum aggreditur opus, colligendisque ac ordinandis Carminibus dat operam, graviori correptus morbo, supersedere incepto labore coactus est. Anno propemodum integro affixus lecto, mortem sibi imminere sentiens, piis threnis duntaxat spiritum ad æternam patriam contendentem enunciantibus scribendis tremulam adhibuit manum, ut jucundius, quam cygnus suum obitum præcinens, præluderet hymnis, quos cum Cælitibus in vita futura modulari sperabat.

Postremus hic clarissimi Pòëtæ fetus, quemadmodum etiam carmen ejus fatidicum de restitutione Ordinis Societatis JESU, quod ipsemet legi, nescio quo casu interiêre.

Tandem maturè extremis Sacramentis munitus, mortalis hujus vitæ exilio piê sanctèque valedixit in Collegio olim Societatis JESU Minscensi, Anno Dni 1781. *Scripta ejus post mortem delata in Albam Russiam ad unum è Patribus Soc: JESU nunc primum universim collecta, publicè typis mandantur.*

MARS AUSTRIACUS

Ad Serenissimos Poloniæ Principes Xaverium *et* Carolum, *reditum e castris parantes, nomine Collegii Varsaviensis S. J. Anno* 1757.

Ergo ſtat, è caſtris, gemini mea gloria Fratres,
Maturare viam? et victricis littus Oderæ
Viſtuleis mutare plagis, ubi magna vetuſtæ
Regia Sarmatiæ, Procerumque peramplá corona
Auguſto veſtrum veneratur honore Parentem?

Non ego votorum Lechiæ ſum neſcius; omnes
Illa diu pertæsa moras, usque ardet & usque:
Ocyus in veſtros ſua lumina figere vultus,
Vultus innocuè torvos, blandèque feroces,
Pulvere caſtrenſi, & pulchro ſudore decoros.
Non ſic Clytemneſtra Viri, vel clara Myceno
Arſit in adventum Ducis Agamemnonis, altæ
Mœnia dum Trojæ quateret, ſpoliisque ſuperbus,
Ornatusque comas lauro, remearet ad Argos;
Ut vos, o Fratres, patrii duo fulmina belli,
Tota cupit, geſtitque videre Polonia! nullæ
Exſatiant illam laudes, quêis publica fama,
Veſtræ virtutis Præco fidiſſimus, omnes
Implevit Regni fines; Vos diſcupit ipſos
Sollicito captare ſinu, reducesque secundis
Vocibus, & meritis pugiles ſalvere triumphis.

Ibitis, o mea lux armorum, Regia proles,
Binum delicium magni Regnique, Patrisque,
Ibitis in Lechiam! ſed num divellimur ante,
Inclyta quàm meritæ reſeratis præmia frontis?
Dixit, & ex viridi cumulo (nam plurima circum
Palma Deum, laurique ſtrues ſine lege jacebat)
Ipſe levans geminam divino pollice frondem,
Hanc tua Xaveri, dixit, tua Carole dextra
Meſſuit, hæc veſtrum caput inviolabile cingat,
Florentemque sacræ conservet frontis honorem.

Tum manibus Mars ipſe ſuis prænobile germen
Strenua Principibus ter circum tempora ducens,
Perpetuò Auſtriacis Signis devinxit utrumque.

Jamque viam celerare parant; cùm juſſa repentè
Æra boant, resonantque tubæ, trux fulgurat enſis,
Et lituos inter raucam dant tympana vocem,
Fit ſtrepitus, clamorque Virûm: pars multa dolere,
Pars laudes memorare Ducum, pars fauſta precari,
Altera Xaverii, Caroli pars altera Nomen
Ingeminat, mœrensque Duces comitatur euntes
Plauſibus & lacrymis; Mars ipſe decentior, ambos
Colligat amplexu, placidèque ad pectora ſtringens,
Ite, ait, & Magnum Patriæ, veſtrumque Parentem
Exhilarate, nihil jam vos moror, ite! redite!

DITHYRAMBUS.

Polonia redeuntes è caſtris suos Principes Xaverium *et* Carolum *ſingulari lætitia excipit.*

Age Fama! quid inertes
Defluasque trahis alas?
Age Fama! concitatos
Æmulata cursu Notos,
Quot ſub meo algent Jove
Cunctas age pete plagas:
Trans Nemenum Viliamque
Berezinam, & Rubonem,
Vartam, Bugum, Narviamque,
Age! velox viſe terras,
Garrulumque inflans cornu,
Dic Incolis,
Dic Urbibus,
Dic Civibus,
Nobilibus o! meis Civibus:
Adveniſſe laureatos,
Adveniſſe Principes!
Involâſſe Magni Patris
Sinum sua pignora!

Illuxiſſe meo polo
Mea rurſum sidera!
Sed, quæ ſumma gaudiorum,
Cane Fama omnibus:
Rediiſſe ſoſpites Xaverium & Carolum!
Fallor? an ſpecie ludor amabili?
An vera rerum paſcor imagine?
O vera! mera gaudia!
Jam audio: inſolitis
Incedere lætitiis,
Tumultuari ovantia
Civium examina:
Et quos ferus lavat Tyras,
Et quos purus tingit Chronus,
Et quos Varta flexuoſis
Alluit, ſecatque lymphis,
Meos exilire Cives,
Lætantemque volâ volam
Plaudentes concutere!
Viden? lætus ut Colonus
Prata per, & per opacos
Saltus, lætas struit aras,
Balantemque bonis Diis
Pro ſalute Principum
Gratam mactat victimam!
Audin? ut in preces pronum
Cælum miſſis pulſent votis,
Et benignas aures Divûm
Verberent precante voce!
Non ſic quondam vaſtus Gyas
Titanisque ſæva pubes
In ſtellatas Jovis arces
Saxa validis lacertis
Eſſe jaculata fertur,
Ut nunc omne Lechi genus
Sociatis pro ſalute
Principum ſuorum votis
Arietat Cæli fores!
O! Dì boni (vox cunctorum
Vox eſt una) o! Dì boni,
Conſervate laureatos
Celebresque Marte Fratres!

Conservate Regni florem
XAVERIUM & CAROLUM!
Sed, dic, age! dic Polone,
Cui cupis conſervatam
Magni Regis magnam prolem?
PATRI! MARTI! PATRIAE!

AVIUM COMITIA.

Recens electo Regi Poloniarum STANISLAO AUGUSTO
oblatum Carmen à Provincia Masoviæ
Soc: Jesu.

Aligerum populum tutandæ Gentis amore
Sedibus excitum patriis, lateque patenti
Infuſum campo, ſtudioque ardente petitos
Imperii faſces, & certis legibus acta
Conſilia, & multo celebratos agmine cætus
Dicere mens agitat. Tu noſtram, Præſul Apollo,
Tange Lyram, lepidumque dabit Lyra tacta sonorem.

Multimodis pulſata malis, nulloque quietam
Nacta loco ſedem miſeranda propago volucrûm
Ipſa vicem damnare ſuam, fatòque ſiniſtrô
Acceptas clades & conſcia Numina cladûm
Accuſare, vagum ſparſis per inane querelis,
Inſtituit. Sibi nempe ſolumque undamque negari,
Nec vitam pronis, tutum, committere ripis,
Nec tacitis latitare herbis, nec prata, nec agros
Viſere, nec viridi nemorum conſidere tectô:
Omnia plena dolis, certisque referta periclis
Omnia. Quis namque (ajebant) percenſeat artes
Aucupibus notas, queîs libera turba volantûm
Per ſcelus impetimur? Vario quid retia plexu
Et pedicas, teretesque plagas, nodosque tenaces,
Vincula nos, aut noſtros implicitura Nepotes:
Quid ſeptas laqueis menſas, & vimine lento
Cum caveis fraudes textas, viscumque virentes
Mentitum ramos ſpecie fallente: quid ipſas
Nequaquam vacuas tenſis à caſſibus auras:

Quid lapides, celeresque in vulnera noſtra ſagittas,
Mortiferosque tubos labiis ructantibus ignem
Plumbo permixtum rapidiſſima tela vomentes,
Quæ nec præpropero datur effugiſſe volatu:
Quidvé modos reliquos, diverſa inventa nocendi,
Commemorem? piget immanem renovare dolorem.
Scilicet irato magnorum Numine Divûm
Naſcimur infauſtæ volucres, triſtiſſima pubes,
Naſcimur exitio certo mortique paratæ.

Id porro quisquamné ferat miſerabile viſu
Monſtrum? dum celſa pendentes arbore nidos
Sicubi proſpexit, pro ſcaſa frondibus utens
Alta petit latro, noſtrasque irrumpit in ædes,
Dignus, qui longum dependeat arbore pomum
Crimine pro tanto. At vanæ ſine viribus iræ.
Horrida fit ſtrages: multo ſudore paratum
Diſturbatur opus, ſobolesque ante ora parentum
Corripitur. Tremit illa pavens oculosque retorquet
Ad miſeri genitoris opem matrisque dolentis.
Certat uterque parens raptæ ſuccurrere proli,
Jam circumvolitans nidum trepidantibus arcet
Raptorem pennis, jam queſtubus àera rúmpit,
Flebilibusque modis frondentia rura fatigat
Et ſurdas gemitu cautes; tum colligit iras,
Tergoque horridulo roſtroque minatur & ungve,
Ac propè degentes incendit ad arma sorores.
At furor hoſtilis lachrymisque minisque moveri
Neſcius, arreptos elidit gutture fœtus.
Sparguntur plumæ, fœdatur terra cruore
Innocuo, patuloque exangvia corpora ſacco
Conduntur. Raucis miſcetur ſilva querelis
Alituum, totusque fremit plangoribus æther;
Non ſecùs, ac triſti ruerent dum Pergama bello
Fracta dolis Danaûm, ſub conſpectuque parentum
Infelix ſoboles per hiantia vulnera vitam
Funderet extremam, proprioque cruore rubentem:
Ploravère necem Matresque, Aviæque, Nurusque,
Altaque confuſus feriebat ſidera clamor.
Atque hæc pennigeros vexat ſors dura Quirites,
Ut nullà tutis liceat ſtatione morari.

Hæc ſecum Volucres. Tum aliis prudentior una,

Cum reliquæ tenuêre ſonos, his vocibus uſa eſt:
Quid querimur, Sociæ, quaſi durâ lege Deorum
Objectæ ſimus funeſtis victima fatis?
Libertas noſtra eſt tantorum cauſa malorum:
Cur etenim lubeat nullo Rectore teneri,
Qui rem communem curet, ſceptroque timendus
Territet infeſtos noſtris cervicibus hoſtes?
Eſto unus Princeps, qui florens viribus, acri
Conſilioque potens ſummas moderetur habenas
Aerei regni. Hoc pacto formido per omnes
Oras diſcurret, ne quisquam Rege ſub uno
Collectos populos impunè laceſſere tentet.
Dixit; & aligero placuit ſententia vulgo.
Aſſenſêre omnes Regnatoremque creandum
Decrevère, penes quem jus & ſumma poteſtas
Sit gentem certis adſtringere legibus, atque
Ducere pennatas ad bella gerenda cohortes.
Nec mora: collibuit ſtatuiſſe diemque locumque
Concilio certum; tum plurima nuntia cornix
Juſſa per æthereos latè diſcurrere tractus,
Et populum alatum ſtreperâ raucedine vocis
Ad ſanctas horâ condictâ cogere curas.

Æquore campus erat vaſto per jugera mille
Excurrens. Ejus partem, quâ reſpicit ortum,
Jam matura Ceres flavis veſtivit ariſtis,
Quæ daret annonam fruges conſumere natis
Alitibus: partemque aliam, quæ vergit ad Auſtrum,
Undarum tacito lapsu puriſſimus amnis
Radebat; vetus aſtutis hìc patria mergis,
Anſeribusque, & blandis grata colonia cygnis.
Quæ porrò fuerat pars Phæbo obverſa cadenti,
Et quæ lucifugo ſeptem ſubjecta trioni,
Stirpibus umbroſis viridabat, & aſpera dumis
Errantem ſtrepero flexu per opaca locorum
Fonticulum, ſalebras præruptaque ſaxa lavantem,
Floribus implicitis & denſâ fronde tegebat,
Ac latè ſparſos prohibens Hyperionis ignes
Non violandum æſtu ſervabat frigus aquarum.
Hunc ſibi luſciniæ, cantu clariſſima pubes,
Delegêre locum captæ dulcedine rivi.
Tum nemus inſequitur, platanisque comantibus umbras

Projicit, & feſſis tranquilla cubilia præbet
Cœtibus alituum; propè ſurgunt vertice montes
Nubiferi, rupesque cavæ, multâque dirempti
Fiſſurâ ſcopuli, ſtatio ſecura columbis.
Talia claudebant vaſtum confinia campum,
In quo conſiliis locus eſt edictus habendis.

Jamque dies aderat volucri celebranda Senatu,
Illico & immenſas, nubes pennata, per auras
Labitur, ex oculisque diem bipatentibus alis
Eripit, atque amplas complet longo ordine terras.
Nempe vel æthereas vulgata edicta per oras,
Communisvé boni ſtudium, propriæque ſalutis
Cura, vel imperii potiundi cæca cupido
Pennigeros cives toto conciverat orbe.
Huc vigiles Palamedis aves, & noctis amica
Agmina Bubones, roſtroque timendus adunco
Accipiter nemorum prædo, Corvique volucrum
Æthiopes, longisque Ciconia paſta colubris,
Falconesque truces cupidiſſima natio regni
Convenêre ſimul. Non cæcus Acanthida lucus,
Non ager albenti culmo remoratur Alaudas:
Non Anates fluvius vitreâ scaturigine lymphæ,
Nonque palus Parras, nec bacca cibaria Turdum,
Nec Merulum deserta tenent: nec amæna Palumbem
Pascua tardârunt, turritavé templa Columbam.
Abrupit Philomela modos, viridesque penates
Liquerat, & Turtur complorans fata mariti
Triſtibus abſtinuit miscere ſalicta querelis.
Jam neque captandis acuebat Milvius ungvem
Aſſvetum prædis: gustandi nulla cruoris
Vulturibus jam cura fuit. Non Ardea ſtruxit
Piscibus inſidias, non horrea fœta manîplis
Luſtrabat Paſſer: verùm mens omnibus una,
Aut regere, aut dignum soliis imponere Regem.

Nec solùm is fuerat, qui noſtrâ vescitur aurâ
Communemque haurit solem, sed plurimus ales
Venit ab ignoto peregrini cardine cæli.
Scilicet extremis huc se tulit hospes ab Indis
Pſittacus, è Myſia cygnus, de Phaſide gallus,
E sylvis Arabum phœnix. Simul Africa vaſtos
Corpore ſtruthiones, & pictos Græcia pavos,

Alcyonesque satum placatis fluctibus agmen
Oceanus misit. Sed cunctis celsior ibat
Præpetibus pennis liquidas portata per auras
Cara Jovi volucris, Phœboque addicta sereno,
Attollens alto sublimes vertice cristas.
Hærebat lateri soboles æquata parenti,
Corpore par valido, atque unco non degener ungve,
Ignem oculis vibrans, jaculis armata trisulcis.

Ut sese in campo certâ statione locavit
Unumquodque genus, mox jactans colla superba
Prodiit in medium Pavus (sic turgida fastu
Se cohibere nequit mens, quin affectet honorem
Non meritum quamvis, nulloque labore paratum)
Prodiit, ac rutilo pennarum syrmate pictas
Ostentabat opes, corpusque rotabat in orbem
Murice florigero tumidus; tum talia fatus:
Tam pulchræ chlamydi solum diadema deesse.
Offendit cœtum imprudens minimèque ferenda
Ambitio Pavi, & communi voce repulsa est:
Non faciet Régem Phrygio depicta colore
Vestis: summus honos animi ornamenta requirit.

Hæc cœtus responsa dedit. Mox garrula Cornix
Ut vidit reliquas vocem pressisse volucres,
Altiùs à terra rapidis se sustulit alis,
Et petiit notam celsâ super ilice sedem,
Quò vox arrectas meliùs penetraret ad aures,
Ac sic orsa fuit: procerum veneranda corona,
Aërei cives, alatæ gloria gentis,
Nôstis, (nam sunt hæc totum vulgata per orbem)
Fatidicam me, ipsosque Deos persæpe dedisse
Ore meo facti prænuntia dicta futuri.
Istud & æterno stimulati numine vates
Prodiderant, verbisque fidem voluêre tributam,
Siquid glandiferâ prædixerit ilice Cornix.
Auscultate: stat hæc magnis sententia Divis,
Quam violare nefas: Aquilarum è stirpe creandum,
Qui sceptrô insignis cunctas ditione volucres
Contineat solus, trifidis tueatur & armis.

Dixit; & extemplò confuso murmure campus
Personuit, scissô studia in contraria vulgô:

Namque Gruem multi, cui roſtrum tela miniſtrat,
Poscebant Regem vigilem: multique sagacem
Falconum de gente virum præponere cunctis
Certabant: aliis placitum est (prout quemque libido
Propria sollicitat) Corvum diademate cingi.
Interea Hesperias lapso Titane sub undas
Incubuit nox atra umbris, litemque diremit.
Ergo suas subière domos: pars frondea rura,
Pars petière amnem, pars montem aut saxa cavata:
Pars in vepreto tutâ se absconderat arce.
Ne tamen inſidias per amica ſilentia noctis
Inviſi ſtruerent teterrima turba latrones,
Alituum placidam perturbarentque quietem,
Excubias egêre Grues, parciſſima somni
Gens: omnes vigiles, omnes certare parati,
Et premere infeſtos alis pernicibus hoſtes,
Et dare contortô Mavortia claſſica collo.
Unicuique fuit longum pro cuspide roſtrum,
At breve summa sagum nequaquam crura tegebat,
Ne, ſi laxato volitantia syrmata flexu
Ad talos ſluerent, victoria tardior eſſet.

Jamque per offusas terris cæloque tenebras
Nox peplum succincta nigrum superabat Olympi
Culmina: cum celeres imbellis turba Columbæ,
Furis in adventu magnis terroribus actæ,
Ire per æthereum pennis ſtridentibus æquor,
Conſilii incertæ, trepidum quò vertere cursum.
Interea excubiis Ductor qui præfuit unus
Alloquitur tremulam ac planè ſine voce Columbam:
Dic age, quid pavido transmittitis aëra cursu?
Illa dolens imo suspiria pectore ducit
Atque ait: immanem media sub nocte latronem,
Cui Bubo nomen, tacitas subiiſſe cavernas,
Edereque horrendam ſtragem, fœtusque tenellos
Ante oculos matrum cæco mactare sub antro.

Dixerat & rapidis retulit se ad pignora pennis,
Vel moritura ſimul, natis vitamvé datura.
Hâc præeunte viam, compreſſa voce feruntur
Fida caterva Grues, rupemque indagine cingunt.
Extimuit prædo numeroso milite clausus,
Tutandoque suo sceleri mendacia ſtultus

Advocat, & reprobo crimen negat ore patratum:
Huc hospes subii, non latro: brevemque quietem,
Non paſtum quæro; levibus ne crede Columbis
Magne Heros: cælos & conscia numina teſtor,
Vera ajo. Ductor commotus talibus auſis,
Tuné (refert) facinus perfrictâ fronte negare?
Atque etiam cælos Divosque, aſſumere teſtes?
Nec metuis flammas ſtellata ex arce ruentes
In caput immani maculatum crimine? sparsæ
Quid plumæ, quidvé oſſa notant, & quæ ungvibus hærent
Carnes? quid tepido ſtillantia roſtra cruore?
Hæc sunt innocui Bubonis signa? Satelles,
Corripe noctivagum latronem & carcere frena.
Vix decreta tulit, subito rapuêre rapacem
Invasorem Avium, & vinclis preſſêre nocentem.

Atque ſtatim rubeas agitans aurora quadrigas,
Ipsa roſis præcincta caput crinesque nitentes
Puniceis radiis cælum depingere cœpit:
Armisonique Grues ſinuato gutture vocem
Fuderunt tremulam, ac ripæ longique receſſus
Sylvarum, rupesque cavæ responsa dedêre.
His excita sonis volucrûm Respublica lucos
Littoraque & petras, nocturna cubilia, linquens
Intulerat sese campo; ſimul incita cursu
Longa Gruum legio (ceû quondam Troia pubes
Sinonem captum) magno clamore trahebat
Vinctum Bubonem juſtiſſima fatá trementem.
Ille ibat mœrens, & ferro crura sonabant,
Implicuitque alas ferrum poſt terga revinctas.
Hunc propè discurrens Progne crepitantibus audax
Insectata sonis: non te reverentia cœtûs,
Aſtrorumvé pudor, non lex æterna Deorum
Abſtinuit factis? meritas dabis impie pœnas.
Tum genus alituum varium, quibus arma negavit
Ac vires ad bella pares natura creatrix,
Turmatim certant prædoni illudere capto:
Hi caram matrem crudeli morte necatam,
Illi mactatam sobolem tenerosque nepotes
Commemorant, alii fratrem querulantur ademptum:
Condemnânt latronem omnes pœnasque reposcunt.

His Bubo infelix turbæ clamoribus actus

Ut ſtetit ante Duces æqui rectique tenaces,
Quorum munus erat, verum diſcernere falsô,
Compertumque ſcelus triſti demittere letho,
Se projecit humi ſupplex vitamque rogavit.
Respondêre Aquilæ: precibus non venditur æquum:
Morte luat pœnas, qui admiſit morte piandum
Flagitium. Vitam latro ſi traxerit unus,
Per ſcelus unius multos periiſſe neceſſum eſt.
Ergo malus pereat, ne vivat cæde bonorum.
Hæc dixêre Aquilæ, cœtusque edicta probavit.
Ilicet aggreſſi decretas ſumere pœnas,
Hi roſtro fodicare oculos, hi ſrangere crura,
Hi terebrare caput, ſcrutarique ima cerebri
Ungvibus infixis, alii diſcerpere carnes,
Et lacerata fibris avellere viſcera ruptis;
Sicque cruentatum ſuspendunt arbore celsâ,
Unius ut pœnâ terror ſpargatur ad omnes.

Juſtitiæ poſtquàm cæſo Bubone litatum,
Conſilii cœptam tentant pertexere telam.
Ecce autem feles, gens prædis vivere ſveta,
Silvis egreſſæ tacitè per gramina ſerpunt
Inſidiasque ſtruunt: veluti dum triſte luporum
Agmen lanigeras pecudes ſub montibus altis
Carpere florentem cytiſum conſpexerat, acri
Exſtimulante fame fraudes ſub pectore verſat,
Et corpus proſternit humi, ventremque voracem
Per ſalebroſa trahit, timidis gregibusque propinquat:
Sic perreptabant feles ad caſtra volucrûm.
Prima videt technas & prima exclamat Hirundo:
Hoſtis adeſt! hoſtis! volucrûm mox turba minorum
Voce metum ſignans denſis ſe vepribus abdit.
At fortes Aquilæ veniunt ad prælia primæ,
Oppugnantque hoſtem roſtris, atque ungvibus urgent.
Obſiſtunt feles, ac armis arma retundunt,
Opponunt roſtris dentes atque ungvibus ungves.
Certatur virtute pari, parilique furore
Utrinque; incertum, quò ſe victoria flectat:
Nec feles Aquilis cedunt, nec felibus illæ.

Ergò ſenes Aquilæ, quas belli longior uſus
Edocuit, pennas collecto pulvere complent
Ac ſimul excutiunt. Motas caligo per auras

5

Pulverulenta volat, nebulisque involvit opacis
Quadrupedes hoſtes, oculisque offundit arenas.
Cæcutiunt feles atrâ caligine septæ,
Perque fugam turpem tentant efferre salutem
E mediis telis. Aquilæ fugientibus inſtant,
Correptasque uncis altum super aëra tollunt.
Vidiſſes volitare feras, quas tardior alis
Deſtituit natura suis: & prælia terris
Suscepta, æthereas demum dispersa per oras.
Sic laniata truces biscentum corpora feles
Fœdârunt auras, fœdârunt sangvine terras;
At reliquæ, ſi queîs vitam fortuna reliquit,
Vulneribus poſt bella graves per devia sparsæ:
Quæque modò erectis ſteterant ad prælia caudis,
Demiſſis inière fugam, petière cavernas.
Jo! sonant volucres: ſtreperi taratantara lætum
Occinuère Grues, geminârunt carmina Cygni:

Interea laſſatæ Aquilæ poſt arma quiescunt;
Cum subitò nova bella sono Cornicula rauco
Nuntiat, atque Aquilas longo certamine feſſas
Evocat ad pugnam, placidum rumpitque soporem.
Scilicet illa gregem Leporum per culmina montis
Perque imas valles quærenda ad pabula sparsum
Dum videt è celso frondosæ vertice quercûs,
Imprudensque putat latè discurrere feles,
Molirique dolos, rursumque ad bella redire
Suppetiis fretas: hoſtem proclamat adeſſe.

Hiscé sonis incensæ Aquilæ super aëra pennis
Attollunt sese celeres, hoſtemque sagaci
Veſtigant visu, leporumque per avia turbas
Huc illucque vagas oculisque alisque sequuntur:
Non quod ab imbelli vulgo ſibi fortè timerent,
Sed quo per cunctas animantes major iiſſet
Terror, nequa locum pedibus temerare profanis
Conſilioque sacros auſit contingere campos:
Scilicet eſſe viros ac eſſe Volucribus arma,
Queìs caram Gentem libertatemque tueri,
Propulsare hoſtes, inimica retundere tela,
Atque suos fines tranquillà pace beatos
Obtinuiſſe queant. Tum natio plena timoris,
Invalidi lepores speculati corpore vaſtas,

Horrentes criſtis, roſtris atque ungve minaces,
Flammivomis torvas oculis, rapidasque volatu
Incursare Aquilas: cuncti simul impete magno,
Quà via facta, fugam rapiunt, cæcasque cavernas
Silvarumque umbras & nota cubilia cursu
Pernici repetunt. Fugientibus acriùs inſtant
Pugnaces Aquilæ, bifidoque his tergora roſtro
Dilaniant, aliosque uncis super æthera librant
Ungvibus, eliduntque fibras & sangvine fœda
Corpora demittunt terris: aliisque supernæ
Inſidunt, equitantque feris, & vulnere tardas
Conficiunt. Jam nullus erat super æquore campi,
Qui traheret vitam lepus: unusquisque cruore
Turpatus proprio monſtrum deforme jacebat.

Tum qui Dux Aquilas felici marte gubernans
Ediderat tantam ſtragem, deſiſtere bello
Imperat, & paucas, quæ se texêre cavernis,
Beſtiolas scrutari & veſtigare latentes
Clarisono clangore vetat dans ſigna receptûs;
Dêin sociis tribuit prædas, epulasque miniſtrat.
Plurimus advenit, qui carnem pascitur ales:
Vultur edax, Corvusque vorax, ſitiensque cruoris
Natio Falconum, vaga Cornix, Milvius asper,
Accipiterque tenax, & multa caterva volucres
Carnivoræ: accumbunt menſis, dapibusque cruentis
Esuriem pellunt. At cætera turba volantûm,
Quêis per naturam fas non eſt sangvine vesci,
Prout cibus arridet proprio cujusque palato,
Inſtituunt placare famem: hæ flaventia culmis
Atque papaveribus pergunt decerpere grana,
Illæ perspicuo nitidos in flumine pisces,
Illæ tranquillum captare per àera muscas,
Vermiculos aliæ cupidiæ concidere roſtris,
Aut fodicare altis pendentes frondibus uvas,
Aut baccas, aut multo poma rubentia sole.

Dum sopita fames epulis, iterumque Senatus
Cogitur: ecce rotans immensó nubila tractu
Africus atque Notus nigra caligine cælum
Abdidit, & spiſſis terras involverat umbris.
Nulla super toto patet æthere rimula luci
Sidereæ, solus metuendo verberat ictu

Langventes oculos vibratus fulgure splendor.
Scilicet hinc undam, illinc flammea tela ferentes
Dum fibi concurrunt, committunt prælia nubes,
Horrificosque cient sonitus, nimbosque remixtos
Ignibus effundunt & cuncta pavoribus implent.
It fragor: exanimæ volucres loca tuta requirunt,
Ut se quæque poteſt certô defendere tectô.
Aſt Aquilæ, quarum eſt munus portare trisulca
Tela Jovi, flammas inter tædasque volantes
Intrepidæ ludunt, supra nidosque volucrum
Per liquidos spatiantur agros & nubis opacæ
Ritu densantur, placidèque per àera nantes
Alituum genus omne tegunt ingentibus alis,
Fulminaque avertunt & lapsos æthere fontes.

Poſtquàm terrificos cælô depellere nimbos
Eſt Superis visum, tranquillatisque procellis
Conspicuo placidum vultu producere solem:
Consultaturæ redeunt ad caſtra volucres,
Atque urgent cœptas magno molimine curas.
Pſittacus intereà reliquis facundior ales
Hos dedit ore sonos: socii, quid perdimus horas?
Quid carum sinimus vanescere tempus in auras?
Nos queruli expectant nati viduique penates
Et seniô feſſæ Matres, neglectaque multo
Tempore cura domûs: quorsum tam longa dierum
Intervalla lubet vacuis consumere verbis?
Siccine Cimmeria mentem caligine preſsi
Rem non perspicitis? nec in ipsa luce videtis,
Quæ dotes ornent Aquilas, populoque regendo
Aptas declarent? vos sceptra negabitis illis,
Queis credit sua tela Tonans? quas vertice sacro
Criſtatam natura jubet geſtare coronam
Stemma potestatis, regni ſignumque futuri,
Vos iis regales deferre pigebit honores?
Num quid obeſt Aquilis, avium quin regna capeſſant?
Imò quid eſt, quô non primas mereantur habere?
Sunt & concertare pares & vincere natæ,
Excelsosque gerunt animos rectique tenaces,
Et commune bonum curant, & mente sagaci
Præcellunt: qualis deceat vigilantia summum
Rectorem populi, omnes ut prævertere casus,

Conſilioque apto removere pericula poſſit.
Hac igitur de ſtirpe virum desumite Regem,
Qui reliquo præſit populo, Gentemque volucrem
Imperiò frenet, moderetur legibus æquis,
Defendatque armis & magnis protegat alis.

Dixit; & erupit subitò vox omnibus una:
Ut præſit cunctis, Aquilam deposcimus omnes.
Hæc ajunt, Aquilamque ſimul, quæ dignior una
Eminuit reliquis, sublatam ex agmine læti
Producunt Cives & in alta sede reponunt:
Fronte locant diadema nitens, & brachia circum
Purpuream expandunt chlamydem, sceptrumque gerendum
Inſinuant, pronique colunt, Regemque salutant.

Moxque coronato volucrûm Respublica gaudens
Principe, sublimes ad ſidera miſit alaudas,
Quæ superis agerent tanto pro munere grates.
Intercà Princeps soliò reſidebat eburnò:
Circùm fida cohors, Aquilæ, cognata propago
Armigerique Deûm ſtabant, gens aspera bellis.
Hanc prope cum sociis sua Struthio caſtra locavit,
Stirps cujusque mali patiens, ab origine vitæ
Ferrato nutrita cibo, ferroque vibrando
A teneris aſſveta annis. Deìn ordine longo
Ardea cum natis, animisque audacibus Ibis,
Electamque regens generosa Ciconia pubem,
Terribiles visu, longis haſtisque phalanges.
Ponè sequebatur Corvorum turma, feroces
Falconumque acies, armis & voce timendi
Bubones, Milvique truces, roſtrisque minaces
Accipitres, Nisusque sua de ſtirpe coactis
Velitibus, variaque leves de gente cohortes.
Hac tam multiplici solium tutante catervâ,
Fungitur obsequio florens ac prompta juventus.
Omnibus una fides, color eſt non omnibus unus;
Graculus atque sati vario depicta colore
Pallia geſtantes, Vireones veſte virentes,
Cumque sua sobole inſignitus Erythacus oſtrô,
Et cyanô, qui sunt Meropum de ſtirpe, corusci,
Cultu dispariles, Aquilæ regnantis ephebi
Huc illuc volitant celeres, Regique fideles
Nuntia certatim referunt, mandata feruntque

Regia, turba locô confiftere nescia certô.

Sic ubi regifico resplendet pompa paratu,
Lætitijs loca cuncta fremunt: Cygnique Gruesque
Clarisonos geminant modulos, tremulumque tubarum
Mentiti cantum clangoribus aftra laceffunt.
E regione sonum & carmen pro carmine reddens
Occinit innumerus celso de monte Choraula.
At riguæ Philomela frequens cithariftria filvæ,
In quatuor partita choros & rauca sonoris
Et diversa jugans variæ moderamina vocis,
Populeas inter frondes scenasque virentes
Non imitabilibus mulcet concentibus auras.
Nec Fringilla tacet, nec garrula torpet Acanthis,
Nec Merulus deserta colens, nec Butio filvâ
Tectus arundineâ, Cuculusvé reconditus umbris
Gaudia diffimulat: sed fi quæ gnara canendi
Eft avis, arguto inflectens modulamine vocem
Læta canit: Pafferque salit, ducitque choreas
Turtur, & oblito gemitu poft fata mariti
Præsefert lepido liquidiffima gaudia vultu.
Plurimus insequitur florenti syrmate pulcher
Pavus, & elata nimium cervice tumescens
Paffibus ad numeros aptatis circinat orbem.
Succedit conferta cohors: pars cincta corymbis,
Pars oleas palmasque ferens, violasque, rosasque:
Pars gemmis decorata caput, quas Pfittacus Indo
Vexit ab Oceano: pars rubrô tecta corallô:
Tellurem pulsant pedibus thyasumque sequuntur.
Lætitiam ut cumulet, discurrit multa theatro, et
Comœdos imitata movet Cornicula risum.
Omnes indulgent genio, tetrisque soluti
Curis exultant animis, feftosque triumphos
Concelebrant, plausuque ferunt ad fidera Regem.

APODOSIS.

Ad Regnum Poloniæ, et ad Serenissimum Stanislaum Augustum *Poloniarum Regem recens electum.*

Fabula cantata eſt: sed enim sub cortice falsi
Vera latent: veluti consvevit Cynthius atra
Nube tegi, nitidamque solent conchylia gemmam
Occulere, & cæcis abscondere terra cavernis
Vallatum sabulò rigidis sub montibus aurum.
Aſt jam tempus adeſt, ut sol emergat ab umbris,
Et fracto rutilans conchyli gemma patescat,
Pulvereque excuſſo nativis fulgeat aurum
Luminibus, quod erat tenebroso carcere septum;
Nempe à narratis abſint velamina factis,
Resque sub aspectum veniant, quas fabula nocte
Obruit, illuſtres omni caligine pulsâ,
Exhibeantque suum nativo in lumine vultum.

Libera Lechiadûm, volucrûmque ſimillima gens eſt,
Quæ nidum Gnesnæ posuit, dêin fortibus auſis
Laudum summa petens, nullis exterrita fatis
Solis ab occasu solis nascentis ad oram, et
Sidus ad Arctoum à media ſtatione diei
Olim victrices latè protenderat alas:
Moldavos, Valachosque tenens ditione; Silesos,
Ac Transilvanos, Livones atque Cosacos
Imperio cohibens, multisque decora triumphis
Scriptorum pennis totum eſt portata per orbem.

Tum, quæ Regnorum sors eſt, ut fortia quæque
Senſim deficiant, minuantur maxima, nec non
Sublimata cadant tantò graviore ruinâ,
Quantò surgebant majore ad ſidera mole:
Hæc eadem celebres quondam fortuna Polonos,
Quos ob res geſtas super arce locavit honoris,
Caſibus afflictos duris dejecit ad ima:
Ut qui de victis populis spolia ampla ferebant,
Ipſi præda forent aliis, almâque nequirent
Pace frui, tutique suis conſiſtere terris.
Hinc alii mutare solum, patriisque relictis

Sedibus, externi solis latitare sub umbra:
Secretôs alii montes altosque receſſus
Præcipiti tentare fugâ, rituque volucrum
Frondosæ tacito se condere tegmine silvæ,
Aut valles penetrare cavas, cannâque paluſtri,
Vel cæcis specubus vitam servare coacti.

Huc demum recidit victricis gloria gentis,
Ut merito Polona queri Respublica poſſit,
Poſt fines Regni prolatôs, sangvine partas
Poſt Martis lauros, longèque ſtatutâ trophæa
Se prius amiſiſſe decus virtute paratum,
Fortunæque rotam Lechica cum gente volutam,
Per subitas miserasque vices de vertice summo
Acquiſitæ laudis ad infima quæque relapsam,
Acrius hoſtili in præceps urgente furore.
Invenient hæc dicta fidem, ſi sæcla priora
Respicias animô, veterum monumenta volutans.
Nec rarum fuerat, quod dum fera bella ſilerent,
Hoſtilesque enses premeret vagina sepultos:
Hoſtis civis erat, tantòque nocentior hoſtis,
Dirius eſt quantò vulnus per viscera serpens,
Quàm quod in externis lacerati corporis hæret
Partibus, admotâ Medici curabile dextrâ:
Hoſtis erat civis, quem nulla repagula legum,
Non timor Aſtrææ, scelerique parata bipennis,
Non hominum superûmque pudor, non mentis honeſtas,
Non amor in Patriam abſtinuit crudelibus auſis.

O quoties doluit sublatum nata Parentem!
O quoties mater natos plôravit ademptos
Per scelus infandum! Non semita tuta plateis,
Non nox tuta domi; feritas obtecta tenebris
Haud semel abdiderat civili in viscere ferrum;
Nec timuit lucem: necdum & Titane sepulto
Hesperiis undis, in cædes cæca ruebat.
Quodſi non valuit ferro, pugnaverat auro:
Munera spargebat, mensasque dolosque ſtruebat,
Effundebat opes, miseris ut damna pararet.
Sic civis cives infixo dente vorabat,
Ut Paphias volucres dirus depascitur aſtur:
Aut velut ælurus, qui svevit vivere raptis
Alitibus, cæcas fraudes sub pectore versans,

Paſſibus adrepit tacitis, abscondit aduncos
Ungves: demittit caudam, ne longior haſta
Terreat alatum vulgus: dein impete facto
Irruit in miseras volucres nil tale timentes,
Incautasque rapit subitò, prædâque potitus
Ex animi voto technas ceſſiſſe malignas
Gaudet, & insolito prodit sua gaudia saltu:
Intereà captæ deflent sua fata volucres,
Altaque luctisonos tollunt ad ſidera queſtus.
Haud aliter cives scelerata fraude peribant.

Nec fuit hisce malis præsentior ulla medela,
Quàm sceptris decorare Virum de civibus unum,
Qui gentis genium bene noscat, ut incola regni:
Communisque boni summo teneatur amore,
Ut Pater: insanos mucrone còërceat ausus,
Muneribusque amplis illuſtria facta coronet,
Ut Judex virtutis amans, vindexque nocentûm:
Quique rei Patriæ infeſtas arcere procellas,
Conſilio superare hoſtes, civesque tueri
Et velit, & poſſit: nec solum fulmina vibret,
Aſt etiam foveat radiis, & protegat umbrâ
Subjectos populos. Talem Polonia Regem
Optabat semper, tali te Principe gaudet.
Scilicet ex aquilis Aquilam, de ſtirpe Polona
Polonum, major Patriæ quem cura salutis
Communisque boni ſtudium vehementius urit,
Te legêre unum Civem, Regemque creârunt
Collecti vario de climate & ordine cives.
Et bene res cecidit, nec civica vota fefellit
Eventus, fruſtra quavis obſtante procella.

Hoc opus eſt Superûm, qui publica commoda curant,
Qui cydari Reges & gentes Regibus ornant:
Hoc opus eſt Superum: Lechicæ qui gentis avitum
Dum cupiunt renovare decus, cineresque relictos
Luminis antiqui teſtes, reſidesque favillas
Inflammare parant & primæ reddere luci:
Non alium voluêre Virum diademate cingi,
Quàm Te, cui Patriæ servandæ maximus ardor,
Tutandique tuos cives propensa voluntas,
Rebus in adverſis pariter rebusque secundis
Mens eadem semper, mutari nescia fatô:

Provida & ad cunctos porrecta scientia casus,
Atque tenax recti legum sanctissima custos
Justitia, & placido radians clementia vultu
Immemor offensæ, pro fulmine munera spargens:
Ingenii vis summa, potens facundia, robur
Pectoris invictum, quærensque per ardua laudem,
Et reliquæ eximiæ dotes diadema pararunt.

Scilicet in cunis alios fortuna salutat
Reges, purpureamque togam cum sangvine tradit;
Illis sorte, tibi virtutibus empta corona
Venerat: estque magis pulchrum meruisse coronam,
Quam nasci Reges, hoc est, aliunde petitis
Subnixos pennis extolli ad culmen honoris.
Tu Stanislae, velut volucris sacrata Tonanti,
Hunc ad Regni apicem propriis portatus es alis.
Ergò summa tene felix fastigia rerum,
O Aquila! o Princeps! tua dum tibi regna manebunt,
Longiùs amotis Lechæa ab gente procellis,
Te Superi faciant Soles spectare serenos,
Æquævamque aquilis per sæcula ducere vitam.

FABULA.

Illustrissimo ac Rmo Dno Comiti Załuski *Kijoviensium Antistiti, cum suas Pastorales litteras pro tuenda Societate Jesu in Diœcesim mitteret.*

Vesper erat, pronoque Phanes devectus Olympo
Hesperias spectabat aquas, cum Pastor aprico
Exspatiatus agro dulces inflaret avenas,
Lanigerosque greges ad pascua læta vocaret.
Ecce autem nemorum latebris cæcisque cavernis
Procurrunt mala turba lupi conspectibus atrox,
Fulvo dente minax, promissis hispida villis,
Evibransque faces rubeas per lumina torva.
Jam propiùs steterant, prædamque hinc inde vagantem
Contuiti, exacuunt dentes ac morsibus aptant.

Interea solers Spartana gente catellus
Horrisono instantes ululatu prodidit hostes.

Haud mora, profiluêre canes, quêis cura tuendì
Eſt commiſſa gregis, Melancus & Asbolus acer,
Et Dromas & Læłaps, natosque sequuta Lycisca,
Et cursu præſtans Pterelas, validusque Moloſſus,
Asper Hylax, audaxque Thous, fratresque Lacones.
Discursant, animosque ferunt ad bella paratos,
Ac rutila oſtentant nudis in dentibus arma,
Atque suas raucis teſtantur vocibus iras.
It sonitus, pulsæ ſtrident latratibus auræ.
Non secus, ac alta vigilans speculator ab arce
Dum videt adversas acies conscendere muros,
Clamat adeſſe hoſtem, tremulo dans claſſica cornu:
Insequitur fremitusque virûm, clangorque tubarum,
Armorumque sonus totam perlabitur urbem;
Sic ubi pacifico ravus populator ovili
Imminet, agnorum cuſtodia fida Moloſſi et
Cætera turba canum latratibus àera rumpunt.
Accurrit Paſtor jaculis succinctus acutis,
Queìs trepidas tutetur oves, rabidamque repellat
Progeniem innocuo cupientem sanguine pasci.
Tum Lupus ingenio reliquis versutior unus
Mentitus Charites oculis, blandumque renidens
(Si tamen eſſe poteſt hirsuto gratia vultu)
Signat amicitiam fluitante per àera caudâ,
Utque ſibi liceat pauciſſima verba profari,
Obsecrat, ac duris ſternit sua corpora terris.

Conticuêre canes, Paſtorque accomodat aurem,
Dicere quid tentet villosus latro bidentûm.
Ille videns ſiluiſſe canes, ſiluiſſe virosque,
Tales demiſſo profundit gutture voces:
Inclyte Vir, cuſtosque gregis, fortiſſime Paſtor,
Hæ turbæ, hi fremitus, hæc tela micantia quorsum?
Non pugnæ ſtudium nobis, non cura nocendi eſt:
Juro per Satyros, per nomina juro Dianæ,
Vera loquor, nullosque dolos sub pectore verso:
Ipse mihi teſtis non abnuet eſſe Gradivus.
Nec malesvada fames, nec dira cupido cruoris
Linquere nos juſſit tranquilla cubilia silvæ.
Non prædas agere, aſt auras captare salubres,
Fert animus: pigra ne corrumpant otia corpus.
Si cursu superamus agros, num currere crimen?

Si caras speculamur oves, num noxa videre?
Candida si pecudum Scythicisque æquata pruinis
Vellera laudamus, pulchrum laudare nefasné?
O bellas ovium species! præclara Deorum
Pignora! digna, quibus textum fulgente metallo,
Ut Phryxæo Agno, tegumentum Juppiter addat:
Digna, quibus radiet magnorum stemma Virorum:
Digna super cælos ferri, mediòque locari
Zodiacò, pulsoque gelu dare gramina terris,
Arboribusque comas, viridesque volucribus umbras,
Atque thymos apibus dulces, roremque cicadis.
Hæc ovium laus est nullum reticenda per ævum,
Quæ tamen (ut verum fatear) non inscia labis.
Scilicet ut sociam jungit se spina roseto,
Gemmaque scabritiæ, scoriæque adnascitur aurum,
Cordeque mortali residet rarissima virtus,
Quam non ullius vitii confinia lædant:
Sic placidis ovibus probrosum crimen adhæret,
Quod non immeritò nostras exsuscitet iras.

Cara Diis soboles, et mansvetissima pubes,
Quid tibi cum canibus, monstris pejoribus angve?
Cerberea cum prole dies noctesque morari
Non pudeat? lubeatque tuam committere vitam
Vesanæ stirpi, cui gloria summa lupinum
Divexare genus, nostroque inhiare cruori?
Jungis amicitias cum nostris hostibus: hinc, quòd
Sis nobis inimica, probas, pœnamque mereris.
Absuerit vis dira canum, mox ira luporum
Desinet, ac nunquam violanda pace quiescet.
Crede mihi, Pastor, pereant si pignora Lachnes,
Testis adest Jupiter, non incursabimus agnos.
Nec video, cur tanta tibi sit cura nefandæ
Gentis, quam nigris aluit Medea venenis.
Tenè latent malefacta canum? consumere fruges,
Corporibus fessis gratum turbare soporem,
Insidias struere, ac iras servare perennes,
Infestare homines, ipsosque lacessere Divos;
Hic pravæ stirpis labor est, hæc unica virtus.
Actæon periit propriis data præda Molossis,
Nec rarò à canibus magna allatrata Diana est.
Tolle canes genus hoc invisum hominique lupoque

Atque Diis ipsis: & pax æterna statuta est:
Grex tibi tutus erit, terrâ vescemur & herbis.
Quid stamus, longasque pigri consumimus horas?
Fœdera firmemus cæsa de more bidente.

Hæc lupus. At Pastor telo subnixus alieno,
Excubiisque canum circumvallatus, & armis
Fidorum comitum protectus, talia reddit:
Novi ego fallaci mendacia tecta colore
Occultosque dolos pulchra sub imagine pacis.
Gens vobis odiosa canes, quòd nuntiet hostes,
Quòd tueatur oves, vestrisque insultibus obstet.
Hinc vigilem turbam, tacitos quæ detegit astus,
Dentesque infestos objectis dentibus arcet,
Expulsam cupitis trans æquora & ultima Thules:
Scilicet ut fido longè custode remoto
Rictibus insanis sint victima certa bidentes.
Ohe! præclaram pacem, quæ atrocior ipso
Bello non custoditum vacuabit ovile.
Res mihi clara magis solari luce patescit:
Si vigiles periêre canes, ovibus pereundum est.

Veritas Fabulæ.

Vesper adest: certum ruituri machina mundi
Vergit ad occasum: nec enim tot sæcula stabit,
Sæcula quot steterat: veterum hæc sententia Patrum est.
Utque peragrato fessus dum Cynthius orbe
Hesperiis se condit aquis, tum tetra luporum
Agmina concursant cupiuntque explere voracem
Ingluviem, insontique necem meditantur ovili:
Sic ubi deficiens mundus propiorque ruinæ
Quotidie extremam celeratus tendit ad horam;
Prava cohors hominum, quam legum nulla sacrarum
Contineat, ponatque modum crudelibus ausis,
Sævit atrox (Superi, procul hanc avertite pestem!)
Sævit atrox, nulloque sinens se limite claudi
Aggreditur Divos, miscetque sacrata profanis.

Metiri ratione Fidem, planèque videre
Mysterium, Deus obscura quod nube recondit
Et sepit tenebris: opus hoc est, hic labor illis,
Quod si non capiant: perfricta fronte negare,

Vertere virtutem vitio, vitiumque corusca
Pingere virtutis specie: sæclìsque probata
Dicta Patrum insano tentant explodere risu.
Imponunt populo falsa sub imagine veri,
Christiadumque gregem deceptum mille per astus,
Mille per errores actum sub Tartara mittunt.
Quid? siquis pravas illorum detegat artes,
Ac defendat oves, pestem reprimatque nocentem:
Infrendent, Acheronta movent, certumque minantur
Exitium, atque minas patrato crimine complent,
Excubiasque gregis vigiles terrâque marique
Oppugnant, cunctisque volunt expellere terris.

Viderat hæc alta Romanus Præsul ab arce,
Præsul, cûi dederat placidum Clementia nomen,
Et virtus diadema triplex: summâque potiri
Jusserat, ac totum latè regnare per orbem.
Ille ut perspexit fraudes artesque nefandas,
Quêis petimur pravorum hostes, fideique tenaces,
Ilicet infestis conatibus obvius ivit,
Lojolæque sacras jam leges antè probatas
Pontificum edictis, iterumque iterumque probavit.
Interea dum Fama volans oracula summi
Pastoris celebrat pafsim, terrasque per omnes
Clarisono cornu verissima nuntia spargit:
Hunc Lechiæ Patres capita exornata thiaris
Accepêre sonum, superìsque tuentibùs æqua,
Clementis placitum concordi voce probârunt.

Hos inter tu Præsul eras, qui non modo sacrum
Papæ decretum sacrato in corde locâsti,
Ast etiam Socios, quos tanquam immania monstra,
Errorum artifices, stirpem cupidamque cruoris,
Et cunctis hominum genus exitiabile terris
Exagitant alii, scriptô factôque tueris.
Perge tuas rebus nostris impendere curas,
Magne Pater, tutorque ovium, terrorque luporum,
Ecclesiæ columen, sæclo memorande perenni
Pastor, perge, tuere tuos, certumque teneto:
Si fidos tutêre canes, tutaberis Agnos.

CARMEN.

Illustrissimo Excellentissimo Domino Czerniszew *Senatori, et Terrarum Imperio Rossiæ nuper adjunctarum supremo Gubernatori.*

Sat ferro Martique datum: jam, maxime Præses
Adjunctæ Rossis terræ, post horrida bella
Fulmineosque æris sonitus & rauca tubarum
Murmura, terrificis tunsas clangoribus aures
Carmine Musarum recrea placidoque susurro.
Magna canent illæ: tua nempe notanda perenni
Facta cedro, & Pario de marmore digna columnis,
Ingeniumque tuum natum victricibus armis
Clarisono mittent ad postera sæcula cantu.

Scilicet ut primum vitales fusus in auras
Numine propitio cepisti munera lucis,
Te mox armorum præses cataphracta corusco
Excepit Bellona sinu, clypeoque cavato
Deposuit teneros artus: hæ namque decebant
Magnanimum infantem cunæ: tum textile ferro
Tegmen & altivolis minimè penetrabile telis
Ætnæâ tunicas duratas arte Cyclopum
Circumdat puero, galeamque ex ære rigentem
Inducit capiti, dextræque accommodat ensem,
Belligerosque animis juvenilibus inserit ignes:
Et locat ante oculos Aquilas nigrantia signa,
Adjicit & contos, catapultas, atque pharetras,
Threicios arcus, pennataque tela sagittas,
Ignivomasque pilas incendia spargere natas,
Et genus armorum reliquum: tormenta, tubosque
Cum tereti plumbo nitrum flammamque pluentes,
Æratosque globos tibi grata crepundia nato
Ad magnum Mavortis opus celebresque triumphos.
Et licèt ad pugnas, atque aspera bella gerenda,
Vibrandosque enses, torquendaque fulmina nondum
Tunc tibi firma manus fuerat: tamen indole Martem
Acri spirabas, & parvo corpore virtus
Magna effulgebat, quæ deìn volventibus annis
Militiæ studio & bellandi creverat usu.

Quippe aliis ætas viridis puerilibus exit
In ludis: tibi ludus erat pernoscere, quidquid
Ad rem bellorum spectat: quo nempe ſtruenda
Munimenta ſitu, quo vallo, quavé figura,
Et quali ſit opus præcingere mœnia foſſa,
Et quibus in campis magè tutum figere caſtra,
Disponi cuneos, pugnamque capeſſere: quêisvé
Propulsare modis hoſtem, quibus artibus urbes
Expugnare datur: quaſſandis machina muris
Quænam commodior, quis ſit ſtratagematis usus:
Obſtent ſi fluvii, quo pacto imponere pontem,
Ut via militibus pateat secura per amnes:
Præpediant ſi saxa viam montesque propinqui
Nubibus, oppoſitos obices quì tollere fas ſit,
Et quì marmorei subter fundamina muri
Effodere ingentes caveas, ac sulphure denso
Igneque subjecto vaſtas convellere moles,
Altaque disruptas jactare in ſidera turres:
Hæc nôſſe à teneris juvenem te cura tenebat.

Rura colunt alii, quibus eſt jam robur ab annis,
Quantumvis dites & avito ſtemmate clari,
Privati degunt, patriisque penatibus hærent,
Ex agris segetesque legunt, hortosque feraci
Arbore fecundant, ut carpant poma Nepotes.
Porrò tuæ diversa ſtetit sententia menti:
Non patrio latitare solo, segnesque per annos
Quærendæ laudi natas consumere vires:
Verùm caſtra sequi, gravibus sudare sub armis,
Et vigiles cælo sub aperto ducere noctes,
Jam, niſi causa vocet, minimè ſtatione moveri,
Jam refugos latè campis agitare manìplos
Hoſtium, & obſtantes valida succidere dextra:
Hæc tibi meſſis erat. Multos flammata cupido
Auri, gemmarumque fames, velut Æsone natum
Phryxæi vehemens potiundi velleris ardor,
Conjicit in pelagus, vaſtam jubet ire per undam, et
Currere ad extremos ratibus velocibus Indos;
Te non chrysolithi species, non flamma pyropi,
Non onyches, adamasvé suo pretiosus ab igne,
Non cyanus cælum ſimulans, non fulva metalli
Gleba sub artificum scitè decocta caminis:

Sed nitor armorum rutilans, & ferrea belli
Lux oblectabat, Martisque laboribus empta
Gloria. Sunt alii mollis dulcedine vitæ
Capti, quos inter blandæ modulamina vocis
Ad citharæ fidiumque sonum concentibus aures
Demulcere juvat; tibi non eſt svavior ullus
Cantus, quàm rauco resonantia claſſica cornu.
Scilicet è magnis Heroibus ortus Achilles
Non aliud meditaris opus, quàm fortia facta,
Queìs natale solum tuearis, & hoſte repulso
Impavidis animis nec non felicibus armis
Emineas, nomenque tibi mereare perenne.

Haud ignota cano: nimirum vera fateri
Si velit attonitus Boruſſus, qui fuit hoſtis,
Teſtis erit: quanto generosæ robore mentis
Fregeris adversas acies, vaſtosque per agros
Straveris exanimos hoſtes, qui certa triumphi
Sint monumenta tui sero narranda Nepoti.
Jam litui fremuêre truces, jam tympana mœſto
Ingemuêre tono, crebrisque fragoribus æra
Sulphureos ignes dura cum glande volantem
Peſtem effuderunt: densataque nubila fumô
Eripuêre polum; tandem res cominus acta.
Concurrunt acies, gladiis certatur & haſtis,
Horrisono armorum ſtrepitu confunditur àër:
Et Roſſi cædunt, pariter cæduntur & ipſi.
Insequitur clamorque virûm clangorque tubarum,
Intereà dubiis volitat Victoria pennis.
Sic ubi fervet opus validis utrinque lacertis,
Eſtque anceps, quonam fato cadat alea belli:
Succurris sublimis equô, & pernicior Euris
Per medias flammas & per reprimentia tela
Ipse ruis, tecumque trahis fortiſſima quæque
Agmina Roſſorum cæsos delata per hoſtes.
Non secus, atque cohors apium non territa fumo
Ductorem sequitur nativis aspera telis,
Obſtantesque sonô terret, terretque tumultu,
Et ſibi pandit iter vacuas secura per auras;
Sic Duce te Roſſi latè ſtridentibus armis,
Quà via facta ruunt, volitantque per hoſtica caſtra,
Hos terrore fugant, illos mucrone cruentant,

Quadrupedumque alios soleata calce trucidant,
Et per funereos confusæ ſtragis acervos
Discursant, plausuque fremunt, gaudentque triumphô.

Qui tuus excelsæ mentis Mavortius ardor
Emicuit toties, quoties pugnantibus auspex
Providus adſueras, animisque cadentibus ingens
Robur, & audaces preſſis formidine vires
Addideras validus Ductor spretorque perîcli,
Sangvinis atque tuæ temnens dispendia vitæ:
Sit modò tuta salus Patriæ Civesque beati.
Hanc bellis, hanc pace geris sub pectore curam,
Hanc vigili versas animo noctesque diesque,
Ut populos tueare tuos armisque togaque.
Sic agis, ùt sapiens media Nauclerus in unda,
Qui cupiens servare ratem, scopulosque minaces
Et brevia & syrtes salvâ vitare carinâ,
Jam vigil explorat ventos, jam ſidera spectat,
Jam dat vela Notis, eadem jam contrahit, atque
Fluctivagam pinum ferrato continet unco:
Sic agis in variis turbis rerumque procellis,
Prospicis, è specula veluti, ventura perîcla,
Conſilioque tuo casus prævertis iniquos:
Ut ratis Imperii, quæ magnæ gentis honorem
Fortunamque vehit, tuta ſtatione quiescat.

Viderat intentas in publica commoda curas
Magna Ducum soboles Paulus, cui sangvis avitus
Et virtus diadema parant hoc Principe dignum:
Viderat, atque tibi dedit amplas præmia laudes,
Promeritumque tuum memori sub pectore servat.
Viderat auguſti Moderatrix optima sceptri
Imperiô Catharina potens terrâque marique,
Europam ditione tenens Aſiamque gubernans,
Divitiis animi præſtans, Orbique regendo
Vires nacta pares: placidum cui Gratia vultum,
Et faciles ad dona manus largiſſima Virtus,
Atque Minerva caput, svavis Facundia lingvam,
Majeſtas oculos, pectus Clementia finxit:
Viderat ex alto solio pulcherrima vitæ
Ornamenta tuæ Dominatrix inclyta rebus
Geſtis, & famâ totum celebrata per Orbem,
Utque tenax recti, vacuos mercede labores

Non eſt paſſa tuos, donisque inſignibus olim
Auxerat, & nuper Lechicis præfecerat oris.
Iſta tuis equidem debentur munera factis,
Sunt tamen & noſtris eadem solatia rebus,
Quòd tali tantoque Viro delata poteſtas,
Quem paveant hoſtes, quem complectantur amore
Cives, & quidquid mandatur, sponte sequantur:
Nam validâ vi pollet amor, potiorque timore eſt,
Ardua quæque lubens superat, minimèque laborem
Sentit: quodque timor violens perfregerit ægrè,
Momento perfringit amor, victorque triumphat.

Hæc tibi semper erat lex imis fixa medullis,
Eſtque tuæ in Patriæ curis, hæc regula vitæ,
Ut svavi ratione regas, & more Parentis
Subjectos animos potiùs modereris amore,
Quàm violente metu. Præbent documenta Miniſtri
Eximiâ bonitate Viri, queîs fræna regenda
Rerum noſtrarum dederas. Ut plurima mittam
Nomina, ne Aoniæ fundant se latiùs undæ:
Kochovium reticere, nefas: quem prona voluntas
In commune bonum, fallendi nescia virtus,
Et faciles mores, & comis gratia vultûs
Commendant omni populo, talemque fatentur,
Quem ferus hoſtis amet, quid Cives? quidvé Clientes?
Czerniszewe, tuo præclaro id munere factum,
Quod nobis dent jura Viri virtutis amantes.
Hæc tua laus: tu Sol, illi sunt aſtra minora,
A te Sole trahunt radios, illisque serenant
Subjectos, sceptrisque novis servire paratos.
Eja age ſis tutor, clariſſime Præses & Heros,
Externos nuper Cives, modò verò Clientes
Et defende tuis armis, & protege scutô.

EUCHARISTICON.

Illustrissimo Excellentissimo ac Reverendissimo Domino Stanislao Bohusz SIESTRZENCEWICZ *Episcopo Albæ Russiæ.*

Quò me Musa rapis? vigiloné? an somnus eburnis
Ingressus portis per amica silentia noctis
Oppressam nebulâ mentem phantasmate pictis
Ludit imaginibus? video discedere cælum,
Cortinasque, quibus penetralia lucida Divûm
Tecta latent, tolli subitò, penitusqué recludi:
Continuò apparet solidis constructa pyropis
Ardua portarum moles, viridansqué smaragdo,
Chrysolitoquè micans, hyacinthi cærula flammis,
Jaspide translucens, scintillans rupe topazi,
Fabrica mira DEI, nullâque imitabilis arte.
Tum spatiis immensa patet præstantior aula
Insolito splendore micans domus alta piorum
Per cunctas constrata vias fulgentis obryzi
Limatis tabulis: quales nec regia Cyri,
Nec vidit curâ Salomonis structa Tonanti
Sacra ædes, quamvis multo radiaret ab auro.

Talia dum lustro, visumque per omnia duco,
Materiemque operis pretiosam miror & artem:
Gemmato bifores panduntur cardine valvæ,
Ipsæ partim auro, partimque adamante recusæ.
Ecce autem præclara Viri gravitate senili
Se præbet species visendam: splendor ab ore
Vividior sese fundebat, sidera frontis
Insolitam lucem vibrabant: æmula solis
Vestis erat nunquam mortali sutilis arte:
Ex humeris suspensa chlamys radiantibus ardens
Stellis, quam lucens gemmatis fibula nodis
Nectebat collo, sub talos longa fluebat:
Hærebat capiti terris non visa corona
Sidereos ignes mirando lumine vincens:
Erumpens imo de pectore flamma micabat:
Ipse manu tenuit vexillum nomine JESU
Inscriptum, proprioque sibi, proprioque suismet

Stemmate militibus, quorum Dux ordinè longo
Agmina ducebat, numerum superantia certum,
Diſſimili cultu in varias diſtincta cohortes,
Disparilesque notis. Niveo pars syrmate tecti
Vertice candentes cydares, & lilia dextris
Geſtabant ſignum mentis, quam labe vacantem
Mortiferâ toto servârunt tempore vitæ.
Pars laurô inſignes, Doctorum ſtemmate clari,
Qui, quas doctrinæ multo sudore parârunt
Divitias, aliis animo tribuêre lubente.
Errabant aliis roseæ per tempora vittæ,
Sed rosa talis erat, qualem non parturit iſta,
Quam pedibus terimus, tellus, corpusque tegebant
Eximiè nitido saturatæ murice pallæ,
Quas minimè Tyrii poterant tinxiſſe labores,
Sed opus Excelſi fuerant: manibusque virebant
Belligeris palmæ præclari inſigne triumphi.
Plurima turba fuit, ſtellarum more nitentes:
Nempe salutifero Fidei qui dogmate gentes
Inſtituêre rudes: alii dêin dispare forma
Pro varia varias tulerant virtute coronas,
Et ſicut meriti discrimina multa fuêre,
Sic mercedis erant, & præmia juſta laboris.

Jam dum conſtiterant, & se per ſtadia mille
Extendêre Viri, solio ſic orsus ab alto
Illorum Princeps, & Divô digna loquutus:
O! Socii, o mea lux, mea laus, mea pignora, quorum
Eximias dotes, magnis factisque perennem
Emeritas cydarim suspexi, sive sub aſtris
Auras dum traherem vitales, ſive beatas
Dum nunc obtineo nitido super æthere sedes.
Vidi ego ſidereâ veſtros speculatus ab arce
Aſſiduos solâ finitos morte labores:
Vidi tartareas acies certamine longo
Fractas illuſtrem vobis ceſsiſse triumphum.
Quæ gens? quæ regio densatis abdita silvis,
Aut seclusa mari, aut circumvallata præalto
Aggere petrarum, vel moribus horrida diris
Opposuit remoras, quas non pervinceret audax
Pectoribus veſtris divinitùs inſita virtus?
Luſtrâſtis terrarum orbem, penetrâſtis ad Indos:

Non vos illexit gemmis Piscaria tellus,
Non auro Peru, non Erythra rubra corallis:
Sed populi pretiosa salus, cæloque lucrandæ
Barbaricæ gentes, virtutum lumine cassæ,
Numinis ignaræ, aut multis erroribus actæ.
Has caras merces quæsiſtis mille periclis:
Non brevia & syrtes Lybicæ, Scyllævé latrantes,
Non Africæ monſtris infamia tesqua, nec arva
Axe sub Arctoo Ryphæis cana pruinis,
Nec vos ardenti tremefecit Syrius æſtu.
Et Japonum foveas, undasque cruore refusas,
Anglorumque trucem lanienam, ergaſtula fœdo
Tetra ſitu, solis habitanda draconibus Afris,
Atque genus mortis varium crudele per enses,
Perque rotas, fixasque cruces, per flagra cruenta,
Visceribusque impactos cultros, per pota veneno
Tela, vel à pingui nutrita incendia pinu, et
Siquid tormenti Stygiis commenta sub antris
Protulit Alecto, magna virtute tuliſtis.
Hæc ego dum vidi, fuerat mihi summa voluptas,
Tam fortes vidiſſe Satos, quêis cederet omne,
Quidquid moliri poterat truculenta tyrannis
Artibus infandis geniorum inſtructa malorum.

Hæc vos egiſtis. Tandem volventibus annis
Venit summa dies & ineluctabile tempus,
Quo mea Relligio veſtris sudoribus aucta,
Ac totum veſtris meritis plantata per orbem
Fulmineo demum decreto occumberet icta.
Scilicet æterno fuerat ſic Numine sanctum:
Ut, quem munivi meditatis legibus, Ordo
Præſtaret sese vitæque crucisque sequacem
JESU, eſſetque suo Domino conformis imago.
Ille salutiferi dispensans pabula verbi
Delabente sacros riguo sudore per artus
Oppida cum villis, celebres luſtrabat & urbes,
Atque rudes populos Divina inſtruxerat arte:
Et, ſi quem reperit diro vel hydrope tumentem,
Vel pedibus captum, aut primævæ ab origine vitæ
Usurâ lucis fraudatum, aut febre calentem,
Corporibus pepulit morbos, validumque vigorem
Reſtituit dictô: quin plures morte fugata

Adjunxit vivis; geniosque ejecerat atros,
Et Stygias peſtes ad Tartara cæca retruſit.
Præmia quæ tandem, tanto mercesque labori?
Opprobria, & sannæ, colaphique, & dira flagella,
Et textum duris de spinis tegmen acutum
Innocuo capiti, & geminata infamia ligna,
Atque duos inter mors sanguinolenta latrones.
Pro bene confectis tulit hæc ſtipendia JESUS!
Par erat, ut Socii gauderent compare sorte,
Nec vacuum nomen gererent, sed pro bene factis
Susciperent maledicta, & labem nominis atram,
Ac demum, tanquam fanatica turba, latrones
Omnibus exuti, patrio de limine pulſi,
Ordine sublato probrosa morte perirent.
Verùm supremo Rectori hæc provida lex eſt:
Ne quisquam pereat, quamvis periiſſe videtur,
Si perit innocuus. Pariter nunc facta videmus:
Vindice nempe DEO ſtetit hæc sententia cælis,
Ut, quæ Relligio fuerat commortua Chriſto,
Surgeret è tumulo, rursus vitâque resumptâ,
Pulvereque excuſſo appareret clarior Orbi.

Jamque dies exorta aliquot sperata per annos,
Quà Stanislaus, cui Ruſſia subjacet Alba,
Et qui Præsuleam meruit virtute tiaram,
Vi ſibi collatâ supremo ex monte Quirini
Perfregit duros vectes, & clauſtra recluſit,
Quêis mea Relligio in lucem prodiret ab umbris.
Nimirum rapidis ubi manat Duna fluentis,
Ille Tyrocinium reseravit clave potentis
Petri, militiamque novam sub nomine JESU
Inſtituit, placitisque meis decurrere vitam
Conformatam, & noſtra sequi veſtigia juſſit.
Ille mei, poſt me Patrem, Pater Ordinis alter
Extitit, & primus laudem ſibi vindicat iſtam,
Quam læto ornabit non unus carmine Vates,
Eloquio Rhetor celebrabit, ad æthera plausu
Quisque bonus tollet, nec pulpita sacra ſilebunt,
Scriptoresque suis calamis ad poſtera mittent
Sæcula: quis tantæ fabricæ fundamina jecit.
Quò mea Relligio revoluto temporis orbe
Numinis annutu placido penetraverit; illic

Fama canet factum, Phidiasque in marmore sculpet.
Et nos qui ex alto melius benefacta videmus,
Fratres, gratô animô ſimus, summumque rogemus
Auctorem rerum, vegetos ut Præsulis annos
Extendat meritis, donis cæleſtibus ornet,
Participemque dein noſtris sociumque coronis
Addat: id à cæli, terræque Parente petamus
Omnes enixis precibus. Quin ocyus imus
Ante thronum, ferimusque preces, & vota litamus?
Dixerat, atque DEI auguſtum conclave petivit:
Hunc reliqui Socii pulcherrima turba secuta eſt.

CARMEN.

Auguſtiſsimæ totius Roſsiæ Imperatrici Catharinae II. *cum Albæ Ruſsiæ oras inviseret.*

Huc ades, Arctoi devecta à cardine cæli
Armorum Catharina potens, cui fracta cruentis
Cladibus illuſtrem tribuit gens Thracia palmam,
Indecoremque datis pacem regionibus emit.
Huc ades, Europæ Pacatrix optima, cujus
Arbitrio svasuque Duces, Regesque superbi
Armatis nuper coiêre in fœdera dextris.
Huc ades, Imperii Moderatrix, gloria gentis,
Delicium populi, Lojolanæque cohortis
Præſidium certum, & lapſis spes unica rebus.
O! mihi ſi fierent faciles ad carmina Musæ,
Temet ego altisono ferrem super æthera cantu.

At quorsum hìc citharæque sonus, lenisque susurrus
Caſtalii fontis, dum sanguine decolor Iſter
Arma virûm, galeasque rotans sub gurgite vaſto, et
Corpora Biſtonidûm Roſſos truncata per enses
In mare præcipitans tabo spumantibus undis
Clarisonam Famam totum jubet ire per orbem,
Quæ canat invicto Catharinae robore geſta
Prælia, depulsasque acies, partosque triumphos?
Illa leves succincta alas, lituumque sonorum
Veloci complexa manu se tollit in auras,

Acceleransque viam per dissita regna, per urbes,
Diffundit latè pleno præconia cornu.
Attonitæ siluêre Alpes, tremuêre Pyrenes
Culmina, & egelida formidine palluit Hæmus.
It volucris rumor, nec se concludit in arctis
Finibus Europæ, vastas se expandit in oras.
Accipiunt famæ sonitum Nasamonia tellus,
Massylique truces, atque Indus sole perustus,
Et populus Nili potator, & accola Gangis.
Unde oritur Titan, & ubi sua lumina ponit,
Et quas de medio terras respectat Olympo:
Quàque rotis vehitur frigens glacialibus Arctos,
Illuc pervenit Catharinae gloria Magnæ.
Scilicet illatis quò fortior hostis in armis,
Tantò nobilior palma est superare tumentem:
Ut major laus est, Phrygium prostrâsse leonem,
Quàm trepidum cervum, aut leporem, capramve fugacem.

Hostis erat Turcus, cum quo bellacibus armis
Res agitanda fuit, bipedum teterrimus unus
Helluo Regnorum; qui cæsis Regibus olim
Urbes cum populis hæres possedit iniquus:
Qualiter exundans latè de montibus altis
Impulsus Borea cum tempestate sonora
Amnis in arva ruit: cui si quæ objecta resistunt,
Cuncta trahit, segetesque, trabesque, & grandia saxa,
Arbutaque evulsa, & demessos graminum acervos,
Pastorumque casas rapido cum vortice volvit.
Sic Turcus Syriam, sic Cretam, & Cypridis oras,
Et quod nascentis spectat cùnabula solis
Imperium, rapuit violentus, non alio, quàm
Jure latrocinii. Sed nondum expleta Tyranni
Esuries, reliquum insana spe devorat Orbem.
Id quò perfecisse queat, crudelibus ausis
Milite cum multo deservit copia rerum.
Illi portat Arabs aurum, chalybemque Damascus,
Trux Massylus ebur, redolentia thura Sabæus,
India fert gemmas, annonam Græcia, Sidon
Purpureas lanas, ærataque dona Corinthus.
Quid memorem lectas varia de gente catervas
Immensas numero, florentes corpore, doctas
Et certare manu, & technis opponere technas,

Ut quæ vi nequeunt, fiant nocitura per aſtus?
Proh Superi! durum tali concurrere monſtro,
Cuî vires adsunt, & dira cupido nocendi.

O quoties sacer ardor erat, quo pectoris ima
Incaluêre Ducum, juſtiſſima bella movere,
Et malè poſſeſſis Turcam depellere terris?
Jam ſignis micuêre cruces, jam fœdere junctus
Miles ad arma volat, miseræ ſitientia cædis
Cæcus tela rotat furor, & crudele Gradivi
Fervet opus, taboquè salum tellusque redundant;
At pius hic vanas abiit conatus in auras.
Nempe leo Lybicus cernens se indagine cinctum,
Exeruit vires omnes, quascunque cruenta
Ira miniſtrabat, prætentaque retia rumpens
Fervidus objectos gladios confregit & haſtas,
Evaſitque necem, multorum funere victor.
Id veterum monumenta docent. Meliora canemus:
Audiat extremis regio defixa sub aſtris,
Et vos Myrmidones, vos atque a sole relicti
Cimmerii auribus arrectis audite: Tyrannum,
Quem viciſſe viri haud poterant, hunc Femina vicit:
Vicit, & elatæ contrivit cornua Lunæ,
Ac ſtolidam gentem docuit, quòd regnet in Orbe
Rofsiaco Judith tumidis metuenda Tyrannis;
Vicit, & Imperii prolatis finibus arces
Barbaricas, Pontumque nigrum ditione coercet;
Vicit, & Ottomani dura sub lege gementes
Crimeæ populos servili compede solvit:
Et quos in ſtrepitu bellorum senserat hoſtes,
Illos Rofsiacæ genti devinxit amicos.
Atque hæc sunt Catharina tui monimenta triumphi,
Quem cedrinis tabulis gemmisque auroque notandum
Scriptores calamis ad posthuma sæcula mittent,
Seraque poſteritas discet, quid Femina geſsit;
Femina? sed quæ sola viros ingentibus auſis,
Viribus ingenii, & præcelsæ robore mentis
Anteit, ut graciles superat cedrus alta myricas.

Jamque truces animos totiesque rigata profuso
Sanguine Chriſticolûm posuerunt arma Geloni.
Interea placidæ semper contraria paci,
Torva oculis, & fronte minax, & pallida vultu,

Vipereis nodis colubrinos nexa capillos,
Exsuccosque armos scifsô circumdata velô
Huc illuc rapidis volitat discordia pennis,
Difsidiis intenta feris, ardensque ciere
Bella cruentatis nunquam non horrida campis.
Nec valet illa loco certo confiftere, donec
Sive novos veteresve animis exsuscitet ignes.
Quare Treiciis pacatis rebûs in ortu,
Fertur ad occasum, manibus complexa flagrantes
Tædas, regna petit, vaftus quæ persecat Albis.
Hìc nutrix odii varias discursat in oras:
Nunc Latii Regem, nunc magnum marte Boruffum
Urget, bellacesque animis inseminat iras.
Concipiunt Reges flammam, conceptus utrumque
Ardor in arma rapit, ferro sua jura tueri
Unusquisque cupit, telisque retundere tela.
Ambo alacres animis natique ad bella gerenda:
Annorum cum flore vigor, laudisque cupido
Cæsareum cor agit ftimulis, ætasque Boruffo
Sit devecta licet, sed bello vivida virtus.

Jamque secuturo fiunt præludia bello,
Quisque suum pertractat opus; pars arma novare
Atra fitu, pars ære tubos conflare tonantes,
Pars aptare nitro nocituris pabula flammis,
Tergere pars galeas, vomeresque recudere in enses,
Ducere pars foffas, pars vallo cingere caftra,
Pars agere excubias, pars ftrato jungere ponte
Littora, & æquatis foveis saxisque remotis
Complanare vias, varioque inftare labori.
Non secus agmen apum, dum ftat cum vere serenum,
Aggrediuntur opus, per odoram floribus Hyblam
Discursant celeres, referunt hæ cerea dona,
Exftimulant illæ fucos, ut, quando neceffe,
Apportent operi puras de fontibus undas:
Arte ftruunt aliæ cellas & nectare complent,
Excubiis aliæ vigilant, telisque sonoque
Terrificant, ne quis prædæ dulcedine captus
Florilegas populetur opes, svavesque labores.
Quæque suas partes magnis conatibus explet,
Nec licet ignavum cuiquam dormire veternum.
Sic opus exercent, hinc Teutones, inde Borufsi.

At poſtquam sævi nubes teterrima belli
Incubuit terris: quæ rerum triſtis imago?
Quæ formæ horribiles visu ac immania spectra?
Æra tonant, gladiique ſtrepunt, & claſsica rauco
Aera confundunt fremitu, clamorque virorum
Tollitur, & mœſto ferit aurea ſidera pulsu.
Dat gemitum tellus, gemitumque reciprocat echo
Montibus ex altis, gemitum cava littora reddunt.
Concurrunt acies, miscetur mutua cædes:
Dilaniant homines sese feritate lupina
Indolis humanæ immemores, quasi tigridis atro
Lacte forent paſti: cæsis cumulantur acervi.
Pulverulenta lues fumat confusa, diemque
Eripit ex oculis, nigro tegit omnia luctu.
Arva cruore natant, augentur flumina rivis
Sangvine purpureis. Hem pulchra encomia belli!

Audiit has clades Catharina, simulque dolendas
Regnorum miserata vices intervenit altô
Consiliô Divorum, & svadens fœdera pacis,
Quò Reges, inquit, ruitis? discordia quò vos
Abripit incautos in aperta pericula mittens?
Quò seges hæc ferri? quò tela rubentia tabo?
Quò furor armatus, conſtrataque funera campis?
Scilicet ut pingves nascantur cædibus herbæ?
Non luctus populi, non vos dispendia vitæ
Et ſtrages hominum viduataque rura colonis
Abſtineant cœpto, melioraque sensa miniſtrent?
Non alius fortaſſe placet, quàm sangvine tinctus
Murex? anne lubet spectare cruore madentes
Exuvias hominum miseranda in pabula corvis
Dispersas campo: aut lacrymas potare gementûm,
Queîs frater fratrem, miseri natumque parentes,
Cara virum conjunx letho deplorat ademptum?
Eja agite obversum cognata in viscera ferrum
Mergite vaginâ, & cæcis damnate tenebris:
Quominùs erumpens funeſtet cædibus orbem.
Has voces Catharina dedit sub corde volutans
Sollicitas curas, quo pacto incendia belli
Exitiô populi vaſtas dispersa per oras
Extinxiſſe queat, pulsamque reducere pacem.
Ergo agit, & lapidem movet omnem, atque omnia tentat,

Nec priùs abſiſtit cœpto, quàm jurgia Regum
Finiat, & Jani ſtridentia limina claudat.
O magnum virtutis opus, servare tot urbes,
Totque hominum mortes, dirasque avertere prædas!
Jam Nomen, CATHARINA tuum securus in umbra
Otia dum carpit miles, sub sidera tollit.
Te canit & meſſor flavum dum tondet ariſtis
Campum; qui nuper gladiis horrebat & haſtis.
Te matresque graves, pueri, teneræque puellæ, et
Conditio, & sexus quivis & quælibet ætas
Per fora, perque vias feſtiva laude celebrant;
Lætitiis loca cuncta fremunt, vox omnibus una eſt:
AUGUSTAM servent Superi, quæ pacis alumna
Eripit arma Viris, & Regum temperat iras!
Non hic ſiſte gradum, Domitrix invicta Gradivi,
Perge etiam ardentes mediis in fluctibus ignes
Opprimere, & pulso Marte ad Garamantas & Indos,
Pacis amicitiâ Gallos sociare Britannis.
Hoc agis & cœptam tentas pertexere telam;
Prona salutiferis faveant conatibus aſtra!

Qoòdſi cura tibi eſt, alienæ commoda gentis
Quærere, & impenſis propriis prohibere pericla:
Quid non moliris? quo non conamine rebus
Prospicis Imperii, quò civibus esse beatis
Sit fas? huc omnes curas, huc omnia vertis
Conſilia, & quacunque potes conniteris arte.
Nec labor in caſſum cecidit: tibi Roſsia debet,
Quòd freta Roſsiacis hucusque intacta carinis
Velivolo tandem potis eſt transmittere cursu,
Inque Sinu Scythico securos carpere somnos,
Atque ultrò citròque means de merce parare
Divitias, lucrumque vetus cumulare recenti.
Quid quòd juſtitiâ Regnorum & legibûs æquis
Fortunæ crescunt populi, certoque recumbunt
Securæ portu? ſi quas, Augusta, tuliſti
Leges, sive Solon propriâ seu lance Lycurgus
Penset, ab Aſtræa juraverit eſſe ſtatutas.
Verùm quid proſint legum sancita sacrarum,
Si jaceant scelerum audaci calcata tumultu?
Eſt opus, ut vigiles, æqui rectique tenaces
Eximiique viri, cuſtodes legibus adſint,

In quibus integritas vitæ ſit, & inscia virtus
Cedere terrori, aut oblato munere flecti,
Aut prece, vel generis cognato sanguine vinci.
Talibus indigenis multorum laude probatis
Frena regendarum rerum, Catharina, dediſti.
Hinc florent leges, floret cum legibus æquum,
Remque ſimul gentis florentem servat & auget.
Quisque suo vivit tutus lare, quisque suarum
Eſt securus opum, & cari securus honoris,
Seu quis longa suos extendat jugera fundos,
Sive ſit anguſti pauper poſſeſſor agelli,
Sive suas ducat claro de ſtemmate ceras,
Sive perobscuris fuerit natalibus ortus,
Jure suo fruitur, non vim diramve rapinam
Extimet, alteriusve atras pallescit ad iras.

Omnia tuta tuis sub fascibus, omnia læta:
Securus Naûclerus aquas, agrosque Colonus
Sulcat, & in silvis vacuum latrone viator
Carpit iter, cantuque nemus montesque lacefsit.
Exultat non tarda ſibi ſtipendia miles
Reddita, & exactas vigili sub ſidere noctes
Sudatosque dies pretium non vile tuliſſe;
Nulla gemit virtus sese ſine laude relictam,
Præmia quin etiam meritis majora reportat.
Nullus se miserum queritur, te Principe, verùm
Privatæque domus, villæque, urbesque beatæ.
Auspiciis, Augusta, tuis firmiſsima perſtat
Imperii moles nullis quaſſata procellis.
Qualis nubifero rupes contermina cælo
Præcipiti pulsata Noto Boreave frementes
Effudente iras & fluctu tunsa marino,
Ventorum tumidas furias undasque latrantes
Ridet, & aſſultus omnes immota repellit:
Sic o Regnatrix, te summa Præſide rerum,
Rofsia ſtat nullo hoſtili concuſſa furore.
Et quo crescit honos genti, te Pallade Musæ
Rofsiacas habitare plagas, & fonte relicto
Caſtalio, ripis Nevæ conſidere gaudent:
Ut merito dici pofsis cataphracta Minerva
Auratæ cydari galeam, galeæque virentem
Parnafsi laurum socians, Phæbumque Gradivo:

Quò gens ingeniis pollens, atque aspera bellis
Sic inclarescat Mufis, ut claret ab armis.
O felix soboles, soboles Augufta, Parentis
Auguftæ, pulcherrima dotum illius imago,
Gentis amor, ftirpisque suæ lux inclyta Paulus!
Quas non virtutes tali sub Matre Magiftra
Quotidie didicit, Regnantûm norma futurus?
Artibus apprimè inftructus bellique togæque,
In commune bonum totas impendere vires
Doctus, & infeftam populis avertere sortem
Matris ad exemplum: quæ portus & ara salutis
Civibus eft miseris. Orbi notifsima pando:

Tot pulsata malis, tot tempeftatibus acta
Relligio, cujus Lojola Ignatius Auctor,
Exspoliata bonis, patriis regionibus exul
Infelix varias juffa eft errare per oras,
Felix Rofsiacis gaudét confiftere terris,
Felix, quòd mediis hunc portum nacta procellis,
Quem præbet miseris Catharinae gratia Magnæ.
Pro meritis, Augusta, tuis tantoque favore
Quas tibi jam grates, vel quæ tibi dona feremus?
Fert oleas Europa tibi, dat Turcia lauros,
Dona ferunt cives alii radiantia gazis,
Seu quas fuderunt Peruani viscera montis,
Seu quas volvit opes rubicundis Erythra lymphîs:
Nos tibi corda damus, nec enim de munere noftro
Quidquam aliud poscis, non fulvi pondus obryzi,
Nec quod gemmifero servat sub gurgite Ganges.
Dives es, & lautè collatis proflua donis
Noftra tuis ftudiis o Mater! commoda curas.
O Mater! (nec enim se continet ardor amoris
Quin corde erumpat, sese per verba revelans)
O Mater! (jam fas fit huic infiftere verbo;
Et quæ dictat amor geminare vocabula cantu)
O Mater! (vox eft audax, sed consona vero)
Scilicet exequeris svavifsima munia Matris;
Non secùs ac Jovis armigera & Regina volucrûm
Tutatur sobolem nondum volitare capacem,
Excelso nidoque fovet, paftumque miniftrat:
Quodfi terrificis sonuerunt nubibus imbres,
Protegit illas satos, cælo nimbumque ruentem

Arcet, & extenſis depellit flumina pennis.
Sic nobis, Auguſta Parens, victumque laremque
Concedis Clemens, & noſtris uſibus omne,
Si quid opus, large tribuis, contraque procellam
Latè exundantem magnis nos protegis alis.
Non opis eſt nostræ benefacta rependere tanta
Conſimili facto: Superis ea cura relicta eſt.
Arbiter omnipotens, qui ſtellata arce recumbens
Tempora dispensat, de noſtris detrahat annis
Adjiciatque tibi, longiſsima sæcula texens.
Nos, Auguſta, tuis benefactis vivimus, annis
Tu pariter noſtris Benefactrix inclyta vive.

GAUDIUM POLOCIAE

In adventu Augustissimæ Catharinae II. *Imperatricis totius Rossiæ.*

Illuxit decreta dies, quâ Numine dextro
Difficiles emensa vias à turribus altis
Petropolis magnæ, Imperii florentis ab arce
Roſsiaci lux summa Throni Catharina, suæque
Gentis amor, Princeps totum celebrata per Orbem
Advenit, terrasque nova ditione subactas,
Quà latè fuſi liventia flumina Dunæ
Præcipites undas volvunt in cærula Ponti,
Viserat, & populos vultu clemente beavit.
O quanti plausus liquidas sonuêre per auras!
Non secùs, atquè nigræ noctis cedentibus umbris
Dum surgens Titan, roseisque jugalibus almam
Importans Orbi lucem juga montium inaurat,
Concentu ſtrepit omne nemus, lætasque volucrum
Voces multiplicat ſinuoſis rupibus echo.
Quin hilares etiam saliunt per prata cicadæ,
Exilique tono, ut poſſunt, sua gaudia produnt.
Sic Dominæ adventu Proceres & Martia pubes,
Cives & Myſtæ, qui curant Numinis aras,
Quæque colit Musas studiis addicta juventus,
Et plebs, quæ manuum callo ſibi pabula quærit,
Cuncti lætitiæ clarissima signa dedêre.

Scilicet ut primùm rumor vagus impulit aures,
Non procul esse Deam: subitò numerosa tumultu
Urbs effusa ruit: nullum sua limina claudunt:
Venales mercator opes, & Scriba tabellas,
Causidicusque forum, Musarum deditus arti
Librorum thecas, opifexque sua arma relinquit.
Omnis in occursum festinat sexus & ætas,
Conditioque, statusque omnis: non tarda senectus,
Non labor inceptus, non cura domestica rerum
Abstinuit quemquam, Dominæ quin obvius iret.
Vidisses undare vias, & compita denso
Agmine compleri, populi longasque catervas,
Quâ Dominam videant, stationem quærere certam:
Pars planis infundi agris, pars tendere silvas,
Et volucrûm ritu elatis confidere ramis,
Pars juga clivorum, tumidos pars culmine montes,
Aut celsas turres, aut scandere tecta domorum;
Mens cunctis una est, ac idem pectoris ardor,
Maternos Dominæ vultus atque ora tueri:
Ut, quam corde tenent, illam contingere visu
Certent, seque putent ista ratione beatos.
Qualiter Hyblææ volucres, gens fida suæmet
Reginæ, si vere novo contenderet illa
Antiquum mutare locum, sedesque recentes
Quærere, convolitant, ipsamque examine cingunt:
Non illas remoratur ager calthisque rosisque
Atque thymis halans: non lilia lacte retardant
Congenito, aut svavi suffitu tulpa: nec auro
Fila corusca tenent narcyssi, aut picta hyacinthis
Hortorum facies: dulcem cum melle laborem
Abjiciunt, caræque volunt assistere matri.
Sic ubi festivum Princeps Catharina triumphum
Regifico splendore suam deportat in Urbem,
Accurrunt omnes nullo discrimine facto.
Scilicet Imperii præclara in Principe quidam
Est magnes, qui corda trahit, populosque fideli
Adstringit nexu, & raro devincit amore.

Et jam prima cohors nitidis spectabilis armis
Sese offert, aurora velut prænuntia solis
Mox adventuri, tum plurima turba virorum,
Ceu nimbus, sequitur: florentes viribus omnes,

Insignes habitu, ferroque auroque polito
Conspicui Phœbum cultu radiante lacessunt.
Emicat hos inter nuper Polona Juventus,
Nunc aliis sceptris famulans, Dominæque coronam
Et caram vitam semper jurata tueri:
Quàmlibet adversis gladiis opponere pectus,
Atque pati diras cædes, animâque litare
Esset opus. Quantâ verò jam luce coruscant,
Qui propiùs comitantur Heram, currumque sequuntur?
Quod chlamydum fulgur? quàm lucida balthea gazis?
Quantis divitiis prætextum tegmen equorum?
Quis phaleris splendor? reliquis sed pulchrior ibat
Czerniszew sublimis equo, coopertus obryzo,
Permixtoque adamante flagrans, vultuque Gradivum
Belligero spirans, majestatique severæ
Consocians Charites miro moderamine blandas.
O quali portatus equo! dos siqua caballo
Nobilis esse potest, isti non deficit ulla:
Aures arrectæ, juba densa, pedesque sonori,
Et subtile caput, cervix sinuosa, vibrantes
Flammam oculi, circum præcordia vividus ardor.
Si cupias, cursu pennatos anteit Euros:
Si cursum reprimis, laxasque adducis habenas,
Tunc immota loco ponit vestigia fixus:
Quodsi rursus opus vario versarier orbe,
Est omnem in partem facili tractabilis arte.
Non mihi Bucephalum Alexandri Græcia jactet,
Nonque suum Rhæbum bellis Mezentius acrem
Objiciat: Comitem compto qui tergore portat,
Cursibus, ac ex arte gradu superaret utrosque:
Dixissem, si fas, lapsum hunc à Sole jugalem.
Nempe sibi tales animus Mavortius optat
Alipedes, qui sint acres ad bella gerenda,
Ut celeres possint rectum contendere cursum, aut
Si sit opus, valeant una in statione rotari,
Et quà sessor agit, patientes sponte sequantur.

Postquam prægressi comitatus ordine longo,
Insigni rerum pompa, sumptuque superbo,
Ipsa suos famulos sequitur lectissima Princeps:
Cujus in aspectu quæ tandem gaudia gentis?
Quàm festæ voces superas tolluntur in auras?

Exultant, plauduntque omnes, vitamque perennem
Exoptant, annosque suos pro munere donant
Et Dominæ & Matri, quæ aspernata rigorem
Non jam ferratô, verùm regit omnia sceptrô
Liligerô, & populos svavi ratione gubernans
Eximiæ famæ latè diffundit odorem.
O superi! quibus eſt specialis cura bonorum
Principum, in Auguſtam, quas veſtri regia cæli
Claudit opes, cunctas plenis effundite dextris,
In qua spes omnis populi & fortuna recumbit.
Id gens tota vovet, votis cælosque fatigat:
Has inter resonas voces, interque tubarum
Lætificum fremitum, ac tormenta tonantia Martis,
Sacrarúmque ædûm reboantes Stentoras ære
Provehitur Princeps, fidæque illabitur urbi.
Spargite jam flores, pueri, teneræque puellæ,
Huc pronas violas & celsa papavera collo,
Consertasque thymo, caſiaque crocoque corollas,
Et quas hortus opes nutrit, vel prata, vel agri,
Chloridis omne decus plenis portate caniſtris,
Auguſtæ Dominæ vernantem ſternite callem.
Carpat iter per serta novi gemmantia veris,
Quæ jám victrici lauro, jam pacis olivâ,
Jamque suas opibus terras florescere fecit.
Floreat ipsa quoque & virides longæva per annos,
Indiæ ad extremos depulso Biſtone fines,
Proferat Imperium nullis delebile fatis.

Poſt exantlatos tandem Catharina labores,
Tranatis fluviis, superatis montibus aspris,
Tractibus anfractu intortis, salebrisque viarum,
Ante oculos urbis manifeſto conſtitit ore.
Hanc quicunque vident, mirantur, amantque, timentque,
Et minus eſſe ajunt, quod longo carmine quondam
De Samia Diva veteres scripsêre Poetæ.
Quantus frontis honos? & quanta hic gratia vultûs?
Quantum oculis fulgur, gravitasque in corpore toto?
Quis nitor eloquii mellitâ svavior Hyblâ?
Quæ vis conſilii expendens eventa futura,
Eximiè curans, & fauſto fine coronans?
Quis vigor ingenii? quàm robur pectoris amplum,
Caſibus invictum, diversa in fata paratum?

Exeruit Natura suas hìc sedula vires,
Ut, quæ tractandis sceptris supereminet omnes,
Corporis illa, animique bonis insignior esset.
Hìc bene conveniunt & in una sede morantur
Majestas, Charitesque simul: faciuntquè jubenti
Pareat ut populus permotus amore, metuque.

Et jam cum Dominæ præsenti lumine vultûs,
Lætitiis transacta dies; nec gaudia finem
Accepêre suum, sed ubi sol æthre jugales
Hesperiis demisit aquis, & tetrica nigris
Nox invecta rotis totum velaverat Orbem:
Tum subitò micuêre faces, micuêre corusci
Arcus, & spissas tenebras, noctemque fugârunt.
Omnia collucent: pia templa, palatia, turres,
Curia, privatæque domus, gymnasia, portæ:
Pyramidum moles augusta ad sidera surgit,
Luminibusque suis stellato certat Olympo.
Id tamen excipias: color est argenteus astris,
Hic rubeam & viridem lucem discriminat aurum
Flaventis jubaris, mixtisque coloribus Irim
Aere depingit, populo quæ nuncia pacem
Pulchra notat: Cives, ne formidate procellam,
Sed, nimbis longè depulsis sortis iniquæ,
Sperate innubes soles, sperate serena
Cuncta sub Augustæ sceptris moderantibus Orbem
Rossiacum. Nec nos reficit spes sola futuri,
Jam præsente bono, nec non felicibus annis
Perfruimur læti, festosque accendimus ignes
Lætitiæ testes. Nullus sese eximit isto
Cœtu: sive quibus largas fortuna ministrat
Mitis opes, seu quos tenui cum sorte reliquit,
Contendunt omnes lucem revocare diurnam.
Quin etiam pauper manibus per compita reptans,
Qui paucos solidos precibus lucratus egenis,
Exiguas epulas, tenuem victumque daturus,
Hoc pretio arsuram nocturno tempore curat
Lampada, & oblitus cœnæ radiante coruscam
Nocte suam cupit esse casam cum divite certans:
Quodque oleum certo sibi jure poposcerat olla,
Illud consumpsit, flammâ plaudente, lucerna.
Tantus amor Dominæ cunctorum in pectore regnat!

Scilicet unusquisque lubens sua tecta lucernis
Ornat, & obryzo flammæ radiantis inaurat.
Dixiſſes totam Vulcani fluctibus urbem
Demersam, tantus poſſederat omnia splendor.
Lux vaga dimanat, longis spatiisque per auras
Funditur, allapsam reflectunt nubila lucem,
Quam procul intuiti, vacuato rure, coloni
Accurrunt errore rati, quòd Mulcyber urbem
Poſsideat victor flammis populantibus ædes.
Aſt ubi non nocuis vibrari lumina tædis
Conspiciunt, adſtant animisque ſtupentibus hærent,
Nunquam visa ſibi tam magnæ incendia lucis.
Ne mirêre, rudis plebes, villana propago,
Fulgoris tanti causam si forte requiris:
Veſtra etiam tritus vulgatur sermo per ora:
Quòd, ſi visceribus thesaurum terra recondat,
Prodere luminibus soleat, flammaque volante.
Fabula ſit, per me licet: id porro aſſero certum:
Thesaurum Imperii summum, gemmam magè caram
Imperiô, decus Europæ Polocia servat:
Quidni luce nova ſignet, quid mœnibus abdat?
Scilicet in Dominam quanto gens fertur amore,
Hac declarat luce: videlicet ignibus iſtis
Majores ardere ſibi sub pectore flammas.

LUCTUS POLOCIAE

In abitu Augustissimæ Imperatricis.

Ergo fixa tuæ perſtat sententia menti
Permutare solum, noſtrisque excedere terris?
Ergo tuos Cives Regnàtrix, pignora Mater,
Pupillos Tutrix orbos, mœſtosque relinquis,
Et quibus adveniens huc gaudia magna tuliſti,
Illos hinc abiens luctu demergis amaro?
Sic eſt: res hominum non æqua sorte rotantur:
Jam per ſtrata roſis & mollia plana viarum,
Per loca jam salebris & acutis horrida dumis
Mortales Fortuna vehit; velutique perenni

Lege diem rutilam nox atra humentibus umbris,
Ac hilarem muſtò autumnum triſtiſsima bruma
Insequitur: pariter miscentur dulcia amaris,
Læta catenantur mœſtis, & mollia duris.
Rebus in humanis nunquam ſine nube diescit.
Paucos ante dies plateæque, ſorumque sonabant
Omnigeno plausu, nunc luctibus omnia marcent.
O nimis arctati soles! o tempora paucis
Definita horis, per quas tua lumina vultûs
Civibus impertis, Lux noſtra nitentior aſtrò!
Quare te pigeat noſtra ſtatione morari?
Non te vincit amor gentis, pietasque, fidesque?
Nonque movent lachrymæ, non flectunt vota, precesque
Quin abeas, faciasque tuos tabescere luctu?
Siſte gradum, lachrymas populi ſiſtesque fluentes.

At fruſtra. Princeps Phœbei ſideris inſtar,
Stare loco nescit: percurrens omnia luſtrat,
Omnibus impendit clementer luminis usum.
Verùm sol quamvis abeat, nihilominus oras,
Quas modò deſtituit, renovata luce reviset:
Itque, reditque vias, non semper ſiſtit in uno
Zodiaci ſigno. Princeps, ſis æmula solis!
Non te Petropolis teneat, non Moschua sola,
Non rus Cæsareum: hoc quoque clima revise quotannis,
Atque anni magna nobiscum parte morare.
Annè iſtas habitare casas, laribusque teneri
Vilibus hiscè queat Catharinae auguſta poteſtas?
Copia non deſit, modò ſit tibi certa voluntas,
Mox aulæ, vaſtæque domus, mox mœnia surgent.
Ergo age Regnatrix, fabricandam hìc suscipe molem:
Huc curas converte tuas, animique vigorem.
Hìc, ubi florescunt Cereris de munere meſſes,
Ac ubi sublimis ſtat silvis scena coruscis
Necnon cæca feris habitacula præbet, & ursos
Atque lupos nutrit gregibus fatalia monſtra:
Hìc Cives habitent, populis hìc mœnia pone.
Occupet elatas fluvii tua Regia ripas,
Unde tibi pateant ludi, ſaltusque catervæ
Squammigeræ, choreæque leves, pugnæque jocosæ:
Et quibus inſidiis piscator retia tendens
Ambiat undivagum vulgus, filisque doloſis

Implicet, & captum muscoso littore ponat:
Et qui velivolas ultro citroque meantes
Deportet fluvius liquenti tergore naves.

Parva quidem sunt hæc, animo celsoque minora,
Regnatrix Augusta, tuo, sed Regibus ipsis
Non est insolitum, spectacula talia visu
Delibare, suas atras curasque levare.
Hìc igitur turres vicinas nubibus educ,
Cæsareo sumptu te digna palatia conde,
Aggere multiplici arces muni, cinge vaganti
Flumine; deservit facto natura locorum:
Camporum si plana juvant? amplissima latè
Planities excurrit agri non colle tumescens:
Si quisquam juga montis avet? vicinia celsis
Montibus assurgit; si vasta fluenta requiras?
Vorticibus rapidis magnus prælabitur amnis,
Inquè tuum portum Rigam devectus aperto
Se condit pelago, dederant cui balthea nomen.
Parte alia huc illuc sinuosis flexibus errans
In Dunam Polota suis devolvitur undis.
Utque relaxandis curis, animoque levando
Adsint, quæ recreent oculos: super æquore campi
Hìc plantes hortos & amœnos arbore multa,
Ac placidam densis accersas frondibus umbram.
Hìc flores varios formâ, variosque colore
Areolis dispone suis: huc montibus unda
Accurret sine fæce cavo deducta metallo,
Perque tubos variè flexos anfractibûs acta
Ante oculos Dominæ saliet per mille recursus:
Jamque petens auras vitreo sinuabitur arcu,
Jam liquido rutilam formabit fonte coronam,
Aera jam scindet varias induta figuras:
Inde relapsa solo, toto spatiabitur horto, et
Frigus inhalabit gratum violisque, rosisque,
Ac hortense nemus disperso humore fovebit.
Si majora optes oblectamenta, potentem
Quæ deceant Dominam, narratur qualibus olim
Sveta fuisse frui Princeps opulenta Canopi:
Non deerunt, nec enim poterit tibi deesse facultas.

Regia navis erat multo donata decore
Dextera ab artifici, magnis opibusque superba.

Quæ pandebantur fluitantia carbasa ventis,
Subtili radio Tyrii texère labores:
Serica purpurei portabant vela rudentes,
Pro malo non pinus erat, verùm ardua cedrus,
Albescens clavus fuit ex elephante petitus,
Aurati remi, sumebant fulgur ab auro
Antennæ, parili splendebat prora metallo.
Hac rate dum vehitur fluvium Regina per altum,
Dumque repercussam refringunt cærula lucem
Purpuream, flavamque simul: lucentia stagna
Dixeris Auroram croceis depingere flammis.
Sic Cleopatra suos Orbi jactabat honores.
Consimili posses, si velles, Maxima Princeps,
Nave per æquatas spatiari fluminis undas,
Ac pronis illam delabi fluctibus oram,
Livonicas defixit ubi Natura charybdes
Navibus infestas. Quidam hìc est horror amœnus,
Inspectare, prout repetitis saltibus amnis
Se rotat in partes varias: jam surgit in altum,
Jam se præcipiti lapsu demittit ad ima:
Littora jam pulsat, retroque relabitur, atque
Mille trahens gyros tumidus refluitque, fluitque
Obvius ipse sibi, venientes excipit undas,
Ac errore vago per subdola saxa volutus
Cum strepero sonitu spumas jaculatur in auras.
O quoties periere rates hoc tramite vectæ!
Has spectare potes ludentes flexibus, at non
Tranare insessas saxis latitantibus undas.
Nam par est, Dominam populo nocitura videre,
Ut, siqua ratione potest, removere pericla,
Commodaque in tuta studeat statione locare.
Vorticibus verò tantis committere vitam,
Fortunamque simul, naturæ lege vetatur
Principibus, quorum casu gens tota ruinam
Ferret, & accisis languerent omnia rebus.

Dum locus est igitur condendæ commodus urbi,
Ædibus augustis, & firmis arcibus, atque
Delicias potis est regali nomine dignas
Suppeditare tibi, cur non hìc mœnia ponas?
An tibi defectu sumptûs subtracta potestas,
Quam largis opibus clemens Fortuna beavit?

Si potuit Dido Phœnifsis exul ab oris,
Quæ Lybiæ tenuem precibus pofiedit agellum,
Condere percelebres magnæ Carthaginis arces:
Tu, cujus felix ditio protenditur ultra
Europæ fines, Afiæque ampliffima, necnon
Divitiis populisque tenet florentia regna,
Non poffis ifto peramœno in littore Dunæ
Junctarum nuper Regionum figere sedem?
Si Petrus extruxit magnis conatibus Urbem,
Et sua Petropoli dederat cognomina: cur non
Hic muri, Catharina, tuo sub nomine surgant?
Ille recens captis fixit sua mœnia terris:
Illum, quem sequeris sceptro ac ingentibus aufis,
Atque etiam fatis superas, hoc exprime facto.
Imperio minor ille fuit gazaque minore:
Tanta tuis Regnis acceffio facta, negata
Belligero Petro. Tibi nigri marmore Ponti
Velivolæ naves portant de mercibus aurum
Intactum Petro, quamvis molimine multo
Quæfitum fuerat bellis, & fœdere pacis.
At poft adjectas terras, atque aucta tributa
Cum tua divitiis æraria plena redundent,
Cur super his terris conftructæ mœnibus urbis,
Nominis æternum monumentum ponere nolis,
Quod memori semper celebretur laude per Orbem,
Sculpatur Pario saxo, scribatur in ære?
Clarisono verax lituo fert Fama per auras,
Innumeras, Augufta, tuis jam sumptibus urbes
Erectas alibi: his par fit data gratia terris.

Fac igitur jubeas, mox omnes agmine facto
Aggrediemur opus: pars ferro frangere saxa,
Adque novam fabricam appofitas formare figuras:
Pars lapides legere ex agris, pars cædere ligna,
Pars tædis animare focos, calcemque parare,
Tradere Vulcano lateres, durareque flammis:
Pars aptare locum hortis, pars inquirere fontes,
Ducere pars sulcos platanis, tiliisque serendis.
Plurima materies aderit tribuenda labori;
Quadratas rupes & cæfi fragmina gypfi,
Et marmor sectum Gothico de littore navi
Duna vehet, noftrisque celer componet in oris.

Siquid opus chalybis foret, æratique metalli,
Riga miniſtrabit Dominæ mandata capeſsens.
Non opus, ut tua mens majoribus obruta curis
Talibus inſiſtat rebus: committe Miniſtro,
Nuper qui adjunctis sapienter præſidet Oris.
Quæque Vir hic magnus faciet, tu facta probabis.

Interea junguntur equi, currusque parantur:
Decretum meditatur iter clariſſima Princeps,
Jamque viæ sese tradit ſtipante caterva
Lugentis populi: triſtis ferit àera clamor.
Hæc saltem fuerint misero solatia luctu,
Ut, quoties Titan magnum percurrerit Orbem,
Pomifer authumnus, vel hyems incana pruinis,
Aut ver florilegum, vel pallida meſſibus æſtas
Te noſtrâ toties, o Princeps, ſiſtat in urbe.
Hæc foret aurato sæclo pretioſior anni
Pars nobis, feſtisque eſſet socianda Kalendis.
At modò disceſſus quoniam ſtat certa voluntas,
Perge bonis avibus, Zephyris comitantibus, aſtris
Non madidis nimbo, aut aspros spirantibus Euros,
Nec præmaturos æſtu jaculantibus ignes:
Temperie verùm placida mulcentibus auras.
Perge bonis avibus, populi te corda sequentur,
Poſt te noſtrarum lachrymarum flumina current,
Hasque dabunt voces planctu resonante per æthram:
Perge bonis avibus, rursumque revertere, Mater!

IGNES ARTIFICIOSI

In triumphali Augustissimæ CATHARINAE II. *Imperatricis totius Russiæ Skloviam adventu ab Illustrissimo Simone Zoricz excitati.*

Quæ rerum facies? quæ se spectacula pandunt?
Quod jubar insolitum? quæ tanta volumina lucis?
Annè meos oculos vani sub imagine monſtri
Pergama percellunt ignitis fulgida tædis?
Aut Pater ignipotens Trinacria regna perosus
Spumantem latè fluitantibus ignibus Ætnam

Per mare, per terras, per tot longinqua viarum
E Siculis arvis Sklovienses tranſtulit oras,
Atque parare Jovi candentibus arma caminis
Juſſerat, ac tumidis flammas jactare per auras
Follibus, & glomeratæ incendia spargere lucis?
Fallimur: in tenebris pridem tacitisque favillis
Troja sepulta jacet, nullâque superſtite buſtis
Scintillâ, ut rubuit flammis, ſic pallet ariſtis;
Quæque Jove irato terris eſt fixa Sicanis
Ætna, soli retinens antiquis æſtuat agris
Damna ferens genti populosas diruit urbes,
Cum silvis armenta trahit flagrantibus undis,
Et quod Ruricolûm longi peperêre labores,
In cineres redigit momento temporis uno.

O quàm dispariles ignes hæc machina fundit,
Quæ Skloviæ aſſurgit celſis subnixa columnis!
Scilicet ætnæo quæ manant vortice flammæ,
Volventes atro saturatos sulphure fumos,
Subtexunt spiſſâ sudum caligine cælum
Atque ipsam mediam faciunt nigrescere lucem,
Vicinasque plagas miseris plangoribus implent.
At verò hic ignis, quem scita temperat arte
Ingeniosus amor, tetræ eſt fuliginis expers,
Purus & innocuus, radiatis pulchrior aſtris
Non luctum populo, verùm solatia portat,
Ablatoque facit Titane diescere noctem:
Nonque unam speciem, aſt varias induta figuras
Lumina dispensat, liquidoque natantia cælo
Mille rotat gyris & mille coloribus ornat.
Vidiſſes per inane altos volitare dracones
Ore ejectantes lucem, caudamque trahentes
Lumine crinitam. Vidiſſes tramite recto
Sursum ascendentes flammas & in àëre callem
Pingere splendentem, demum sub nubibus altis,
Cum grandi sonitu, fabricatam amittere vitam.
Vidiſſes terris natas super æthera tolli
Candentes ſtellas, rursus terrisque relabi.
Prætermitto solo flammas discurrere visas,
Aëreque in vacuo spiris pendere rotatis.
Hæc quicunque hauſit læto spectacula visu,
Mulcyberem jam ne dicat de vulnere claudum,

Qui modò tam celeri cursu se versat in orbes.

Quàm verò jucundo agitantur prælia Marte,
Dum gemina adverso certant elementa duello:
Ignis & unda ſibi pergunt confligere bellô.
Ardet opus: ſtreperas ignis flammatur in iras:
Murmurat unda ferox, ignique obſiſtere tentat.
Ignis ſideribus cognatus, origine clarus
Indole sublimes animos fovet, utpote semper
Alta petens, undæ certus non cedere palmam.
It contrà fervens turbatis fluctibus unda,
Effunditque iras magno confusa tumultu.
Ignis tela jacit Cyclopum nata caminis;
Undam quantumvis cryſtallinus umbo tuetur,
His tamen arcendis jaculis aptiſſimus umbo eſt.
Undæ aliæ cedunt acie, belloque novando
Succedunt aliæ, nec pactis arma quiescunt.
Ambo furunt hoſtes pugnaces auſibus ambo:
Flamma dein victrix victam superminet undam;
Jam levis huc illuc discursat flumine toto,
Non secûs, atque atrox per Teucrûm caſtra Camilla:
Jam se condit aquis, rursumque emergit in auras,
Jam natat illæsa & mediis exultat in undis.

Hactenus indulſi parvis, majora canemus.
Ecce super rutilo paret nova scena theatro:
Ex flammis fabricata domus, primò ante minuta
Erigitur, tenues demum disparet ad auras,
Inque locum subitò turrita palatia surgunt,
Auguſtæ moles, habitacula digna Deorum.
Hæc quid deſignent, Sklovienſis noverat Hæres.
Accidit id porro cunctis mirabile visu:
Extructas alibi Vulcanus diruit ædes,
Hic ſtruit intactasque ſinu conservat edaci.
Mulcyber ipse faber, pariterque eſt ipse ſtupendi
Materies operis, supplendo tecta trabesque, et
Parjetibus sese solido pro marmore donans.

Quid memorem pictis florentes ignibus hortos?
Musa mihi tantis argutam ſuffice vocem
Rebus cantandis: quis enim conspexerit unquam, ut
Surgeret ex flamma ramis frondentibus arbor?
Hæc non visa aliis spectacula Sklovia vidit.

Legibus agnatis Naturæ ex arbore flamma
Nascitur; hìc contrà, de flamma nascitur arbor.
Obſtupuêre animis, quotquot vidêre tenellas
Ignibus in mediis ex igni crescere plantas;
Altiùs attolli, proceram acquirere molem,
Veſtiri foliis, maturos edere fructus,
Quavis parte sui servata lege coloris.
In foliis ramisque virens, in fructibus alta,
Aut flava, aut rubea, aut violas livore secuta
Flamma oculos pascit mentes avidasque tuentûm.
Qualibus oſtentis fors nec Parisina theatra,
Vel Romana olim tumuerunt: talibus Heros
Magnæ animæ Zoricz Sklovienses recreat oras,
Principi ut Auguſtæ rarum teſtetur amorem
Quà Civis pariterque Cliens oneratus opimis
Muneribus Dominæ, Sklovizæ Poſſeſſor & Hæres.

Nec satis: Augustæ sese præsentat imago
Flammato solio reſidens, & murice flammæ
Conveſtita rubet, coma flammis aurea flavet,
Albicat & facies flammâ pallente renidens,
E placidis oculis vibratur flammeus ardor:
In toto ludit ſimulacro ars lucis & umbræ.
Ante thronum Dominæ ſinuato poplite viva
Effigies Zoricz magno pro munere grati
Cernitur, Auguſtæque in imagine reddit honores.
Atque suam hìc operam finiverat ignis Apelles.

O quot in his miris arserunt millia flammis!
Quid jam regifico convivia splendida sumptu?
Quid veſtiti auro pulcherrima pompa palatii?
Quid nitor ornatûs famulantûm? quidve Choraulæ
Artibus inſignes, numero condensa caterva
Haud modicâ impensâ longo deducta viarum
Tractu? quid magnis lunati sumptibus arcus?
Quid reliqui auguſti, queis fulserat Aula, paratus?
Quos non thesauros tanti exhausêre triumphi?
At meruit Princeps tales ut ferret honores,
Quæ urbibus Imperium, populis impleverat urbes,
Atque suos populos opibus cumulaverat amplis,
Inque sua nullum patitur ditione gementem,
Quin manibus largis oculorum tergeat imbrem.

Pernix Fama, vola & nigrum perlabere Pontum, et
Illuſtrem pompam vocali ediſſere cornu:
Si tantis opibus valet è Magnatibus unus,
Quid reliqui Cives? Procerûm quid lecta corona?
Jam queis divitiis æraria farta tumescant
Principis Auguſtæ, cui fert Europa tributum,
Necnon Regna Aſiæ pretioſis inclyta lanis,
Gemmarum cumulis fulvoque superba metallo?
Pernix Fama, vola lituis succincta canoris,
Zoricii factum longinquas sparge per oras:
Audiat Euxinus, nôrint gens improba Turcæ,
Quàm largo Roſſos locupletet Copia cornu:
Deponant criſtas, timeantque laceſſere bello
Auguſtam validis armis opibusque potentem.
Non spe præsumat ſtatuenda trophæa Tyrannus,
Jam toties victus telisque ad fœdera adactus
Ardua lunatæ submittat cornua gentis
Roſſiacis sceptris: nec barbarus hoſtica tela,
Svavia sed potiùs CATHARINAE juſſa capeſſat;
Pareat imperiis, pereat ne perfidus armis.

CARMEN

Ad Illm Dnum KRECZETNIKOW, *dum Minscum hospes diverteret.*

Ergo ades Imperii præclarum sidus Eoi
Heros Marte ardens, dum rauco buccina cornu
Cogit ad arma viros: idemque, sepulta feroces
Dum bella extinxêre iras, tranquillior aurâ
Placatâ Zephyris: doctus sociare Gradivo
Mansvetas Charites: armis ſimul acer in hoſtes,
Et pius in cives. Eſt virtus iſta Tonantis,
Qui ſibi devotos auratâ luce tuetur,
Adversos torret flammis, aut fulgure terret.

At non solus ades, verùm comitante caterva
Pulchra virtutum. Tecum dux optima facti,
Quæ dat conſilium dubiis Prudentia rebus,
Præclarique tenax cœpti Conſtantia, necnon

Sacra Themis cuſtos legum rigidiſſima, quæque
Tarda ſit ad pœnas, velox ad præmia: tecum
Majeſtas auguſta licèt, tamen inscia faſtûs,
Alloquio facilis, nullius vota repellens,
Et placidum vultum & pronam venientibus aurem
Munificamque manum miseris præbere parata:
Tecum virtutes aliæ belloque togæque
Servitura cohors noſtras allabitur oras.
His cuneis ſtipatus ades, minimèque timore
Pectora percellis, verùm pervincis amore.
Nobilior certè eſt, & pulchrior iſte triumphus,
Expugnare animos, quàm firmas mœnibus urbes:
Flectere cor populi svavi ratione regendi,
Quàm ferrò dare jura viris & scribere leges
Sangvine perfuſis gladiis, armisque coacta
Subdere regna jugo. Dum nempe potentia fasces
Ambitiosa gerit compescens vique metuque
Invitos populos, malè regni tractat habenas,
Et facit, ut vulgus violentâ lege teneri
Impatiens cieat turbas, & more tumentis
Fluminis exundans objecta repagula rumpat.
Aſt ubi regnat amor duri moderaminis expers,
Cuncta quieta ſilent nullo confusa tumultu.
Hic tuus imperii modus eſt, hac lege gubernas,
Ut quibus, Auguſtæ Catharinae munere, terris
Imperitas, populos dulci moderamine flectas,
Quamcunque in partem tua ſit propensa voluntas.

Quippe alacres animi, ſi quò bonitate trahuntur,
Illuc sponte sua currunt calcaribus acti
Non aliis, quàm quæ persvadendi inclytus arte
Subdit amor. Quicunque tua ditione tenentur,
Exultant animis caro te Præſide læti,
Qui cives ùt mater amas, ùt mater amaris
Civibus à cunctis. Felix eſt te Duce miles,
Te Domino famuli, te Protectore clientes,
Te Tutore suo villæque urbesquæ beatæ.
Sicubi pauperies lacero deformis amictu,
Debilitata fame, macilento pallida vultu
Per fora perque vías, plateasque inculta vagatur,
Rebus in anguſtis te largitore levamen
Invenit, atque amplis donis cumulata recedit.

Te legum vigili ceſſant cuſtode pericla,
Securus nauclerus aquas & villicus agros
Sulcat, & in silvis vacuum latrone viator
Carpit iter, nomenque tuum sub ſidera tollit.
O Superi! servate virum (vox omnibus una eſt)
Inſignem probitate virum servate per annos
Neſtoris incolumem vegetumque, & sorte secunda
Florentem; vivat Patriæ populisque regendis,
Tutandoque throno Auguſtæ, rebusque clientûm
Vivat, & annales præclaris impleat auſis.

DIRAE IN VULCANUM

Qui in bonis Ill: Dni Joachimi Chreptowicz *Officinam ad conficiendum ferrum in cineres redegit.*

Sunt bona Wiszniewo cæcis circumdata silvis,
Hinc fluviis, ſtagnis cincta paluſtribus inde:
Hæc ſibi congenito præſtantis semine ferri
Dotavit natura loci, ac ad commoda finxit.
Eſt horum Dominus celeber Vir nomine, reque
Chreptowicz lumen Patriæ Præsesque Sigilli:
Quem teneris annis Pallas nutriverat ipsa,
Nec modò deseruit doctiſſima sensa miniſtrans:
Quem Themis æquatâ res omnes pondere lance
Erudiit semper recti, juſtique tenacem:
In quo collibuit cunctis virtutibus alto
A solio Divûm delapſis figere sedem.
Hic, prout ingenio solers, rerumque peritus,
Dum pro more suo circumspicit omnia fundi,
Tecta metalla videt limoſis obruta terris:
Juppiter intereà celsâ prospexit ab arce,
Et pariter speculatus opes uligine mersas,
Non tulit ulteriùs tam grandia lucra jacere, ac
Ad Dominum fundi de nubibus iſta profatus:
Quid pateris fructu vacuam ſterilescere glebam,
In qua divitias occultas Pluto reservat?
Quin ferrum è terra, de ferroque elicis aurum?
Eja agito, celeremque manum conjunge labori:

Ecce mei socii, quanquam de claſſe Deorum,
Obsequiis aderunt præſtò mea juſſa secuti:
Mulcyber in factis agili virtute juvabit,
Neptunusque suis operi famulabitur undis.
Non illos pudeat tali servire Miniſtro,
Quem Rex, quem Cives, quem tota corona Senatûs
Eximias propter dotes ad ſidera tollunt.

Jupiter hæc fatus rutila se nube recondit.
Tum subitò Dominus terræ conamine magno
Aggreditur fabricam, sponsa mercede labori
Advocat artifices, de villis advocat agmen
Grande laborantûm, tantùm cuſtode relicto
Pagorum domibus: currunt pubesque, virique:
Quisque suum munus contentis viribus implet.
Ceû gens formicæ, torporis nescia pigri,
Quando sub æſtivo regnat Titane serenum,
Thura hæ comportant Superis gratiſſima dona,
Hæque tigilla ferunt reparandis ædibus apta,
Ne pateant nivibus, vel lapſis æthere nimbis:
Annonamque vehunt aliæ, & granaria complent,
Ne quid deficiat rigido pro tempore brumæ.
Reſtaurant aliæ cellas, callesque repurgant;
Languida segnities nullam, labor occupat omnes.
Sic, ubi Wisznieviæ moles operosa paratur,
Cuncti rem peragunt exoſis otia dextris.
Hi silvas cædunt, illi cæmenta miniſtrant,
Hi lateres fingunt, alii flammantibus urunt
Tædis, & toto Vulcani robore durant.
Vasa parant alii solvendo fortia ferro,
Si quæ hìc confieri nequeant, aliunde petuntur:
Gothus, vel Saxon his offert uſibus arma.
Acceleratur opus Domino accelerare jubente.
Multi saxa quadrant firmandis dura caminis,
Plures ligna dolant, validisque bipennibus inſtant,
Perficiunt pulchram fabricam, tectisque coronant.
Jamque ad quæſitum ſtat commoda machina finem,
Qualis Cyclopum fertur serviſſe labori.
Eruitur cophinis tellus, sudantque ligones,
Aptaque materies magnis lebetibus ardet,
Atque fluit vili de uligine nobile ferrum,
Cogitur in maſſas, varios formatur in usus.

Hæc ubi vulgantur, numerosus convolat emptor,
Ac Domino fundi de ferro nascitur aurum.

Verùm non multùm licuit gaudere secundâ
Sorte sub adverfis vertentibus omnia fatis.
Infignem Domino proventum & commoda genti
Accensus furiis invidit Mulcyber atrox,
Immemor officii, per quod servire jubetur:
A Jove præscriptos fibi fines tranfilit audax,
Corripit alta domûs, flammas immittit edaces,
Eximium consumit opus, tegit omnia fumo.
O Neptune juva! accurrens nil proficit ille.
Mulcyber exundans jam poffidet omnia victor:
Tigna crepant, & tecta ruunt, it flamma per auras,
Deseruit perversa focos, sua clauftra caminos,
Latiùs huc illuc excuffa lege vagatur,
Inftrumenta vorat durato ducta metallo,
A Gothico submiffa finu, à Borealibus aftris.
Sic sumptu permagno elegans ubi machina ftabat,
Rudera nigra jacent, triftes volitantque favillæ.

O Vulcane ferox! quæ te dementia cepit,
Demoliri ædes, quæ te accepêre benignè,
Quæ tibi de solido dederant conclavia saxo, ac
Deliciosa dabant de pingvi obsonia paftu?
Tu tamen hospitio placido malefacta rependis?
Atra filex duro infantem te viscere fovit,
Duritiemque tuis fibris impreflerat altè,
Quam nullum officium nec gratia præftita mollit.
Te primis annis monftrum deforme Chimæra
Horrifico complexa finu nocitura patrare
Edocuit, mœftis implereque cladibus Orbem.
In conventu hominum tam longo tempore vivis,
Nec tamen humanos sensus desumis ab illis.
Te, quicunque domos habitant, sêu femina, sêu vir,
Sub sua tecta vocant, illuftri te hospite gaudent,
Tecum convivunt alacres, lætique morantur:
Utque diu maneas, dapibus, quascunque requiris,
Te recreant: mellis thecas & pinguia præbent
Dona boum, flavæ sapidos oleæque liquores,
Quêis benè nutritus vitali luce fruaris:
Nevè tibi noceat venti vis turbida flabris,
Te cura vigilante tegunt, calidoque cubili

Pulvinoque ſovent molli, ſi fortè quiescas.
Tu horum contemptor mortalibus horridus hospes
Sæpè datis cineri cunctis opibusque, domoque
Auſugis ut latro, veſtigia dira relinquens.

Non ego te dèinceps numero censebo Deorum:
Dos innata Diis ampliſſima spargere dona,
At tu damna creas, miserandis cum grege cauſas,
Cum populoque domos tumulas, urbesque ruinis.
Sic, ingrate, tuo nuper cineſacta furore
Interiit moles ferri ingeniosa creatrix.
Hoccinè mandatum dederat tibi Jupiter almus?
Is te adjutorem posuit, fabrisque sodalem,
Tu furis insanus, tu diruis omnia sævus?
Non te continuit summi reverentia sceptri?
Non telum trifidum? magni non ira Tonantis?
O fera bellua Lernæis truculentior hydris!
Non te jam ulteriùs Divino nomine ſignes:
Ad tygrides apage, ad colubros, Afrosque dracones!
Non unus Dominus patitur dispendia per te,
Inſigni spoliata bono gens tota ruinam
Suſtentat, damnatque tuum execrabile factum.
Quis non indigeat ferro? qui dejicit ornos,
Quique domos fabricant, nec non qui caſtra sequuntur,
Qui rate sulcat aquas, qui scindit vomere terras,
Qui legit ex agris meſſes, qui tondet Iacchum,
Verbò: qui vivit, tractare negotia vitæ
Nequaquam potis eſt ſine tam preſtante metallo.
Hinc gens tota suum clamat te, Mulcyber, hoſtem,
Et vocat ad pœnam. Ait quod tam grandi maleſacto
Supplicium par eſſe poteſt? latro crure secundo
Mulctetur fracto, & Ponti mergatur abyſſo.

Tu verò, Joachime, animum, viresque resume,
Grande bonum miserè lapsum Patriæque, tibiquo
Ne patiare diu tumulo squallere sepultum.
Aggrediaris opus, surgat de pulvere Phœnix,
Triſtibus emergat moles renovata ruinis.
Id gens tota rogat, pariter tua commoda poscunt.
Effusos sumptus repetes cum fenore laudis.

GRATULATIO

Perillustri R. D. Martino Poczobut *Astronomo Regio, Universitatis Vilnensis Rectori.*

Cælis, an terris temet, Martine, requiram?
Sidera te rapiunt, retinet te terra Colonum,
Laurigerique tibi nemoris committit habendas
Præcipuas curas: Academum intelligo doctis
Artibus insignem, famâ per regna celebrem.
Munus utrumque Polo natum: nam primus in Orbe
Astronomus DEUS ipse fuit, qui posteaquàm æthræ
Immensos campos consevit sidere multo,
Ortus, occasus, cursus, phænomena, dotes,
Atque vices varias solio speculatus ab alto
Omnia laudavit, tanquam fabricata per artem
Eximiam, atque aliis demum speculanda reliquit.
Tum superæ Mentes à carnis labe remotæ,
Acres ingenio dum lustrant omnia visu,
Admirantur opus facili virtute peractum
Unius Verbi, astrorum stabilesque rotatus,
Atque graves vacuo suspensas æthere moles,
Diversas dotes, diversa effecta, vicesque
Tempore diversas. Tandem ista scientia fluxit
De cælo in terras, hòminumque labore sagaci
Versari cœpit vigiles noctesque diesque.

Hæc ars est, artes reliquæ cui cedere palmam
Legitimè debent: nam hæ terrea corpora sumunt
Contemplanda sibi. sese elevat altiùs illa,
Affeclasque suos, prout huc manavit Olympo,
Ad cælum invitat, dum talia suggerit ipsis:
Si tanto radiant splendore suburbia, quanto
Urbs Superûm præcelsa micat decorata nitore?
Pars externa domûs tanto fulgore coruscat,
Quid domus interior? quid Regia clara Tonantis?
O excelsæ ædes! o pulchra palatia Divûm!
O mortale genus! quod jactant turbida vitæ,
Hic portus tuus est, velis huc tende repandis:
Cur placet exilium, Patriam perquire beatam,
Erigere, & terris immersam ad sidera tolle

Mentem, quæque parata tibi, illuc pectora verte.
Sæpius Aſtronomis sese spectantibus aſtra
Tale quid inſinuant: quò quid præſtantius eſſe
Utiliusvè poteſt? Dictamina talia cordi
Insculpit, Martine, tuo speculatio cæli:
His regeris, moresque tuos componis ad iſtam
Normam, sollicitus rutili spectator Olympi,
Nec non ejus opum factis sectator avarus.

At nuper commiſſa tuis Academia curis
Te tractare modò terrena negotia cogit.
Nil minus. Hoc etiam delapsum eſt munus Olympo.
Quis Doctor primus? Doctor DEUS ipse supremus:
Ille ubi cæleſtes Genios produxit abyſſo
Obscurâ nihili, superis in Mentibus illis
Cognoscendarum consevit semina rerum:
Et genus humanum, quo totum impleverat Orbem,
Edocuit varias artes, nec deſinit usquam
Luminibus dictare suis, quæ res ſit agenda.
Et superi Genii, quos continet altior Ordo,
Illos, quos ratio meriti inferiore locavit
Sede, ignota docent: noſtri pariterque Magiſtri
Sunt, quibus humanæ mandata eſt cura salutis.
Eſt igitur Cælum dicendum Academia quædam,
Quæ tot Doctores spatioso parjete claudit,
Quot Genios numerat præclara dote Magistros;
Et DEUS ipse docet, dum Divis multa revelat.
Eſt, inquam, Cælum fundata Academia prima
Sub Rectore DEO, qui doctis cœtibus illis
Pro merito, meritique gradu dat laurea serta.
Jamque vides, utrumque aſtris exordia debet
Officium, quo te virtus cumulaverat alta.
Perge igitur felix, exerce munus utrumque;
Tu vigil aſtra notas, ſint propitia, invigilentque
Aſtra tuo, Martine, bono clementia semper:
Laurigeras meritis dispensas jure coronas,
Felici eventu Superi tua vota coronent.

VOTA

Pro incolumitate Augustissimæ Imperatricis CATHARINAE II, *cum ægrâ uteretur valetudine.*

Fama nigris alis Arctoo ex æthere lapsa
Dura canit, peracerba canit, triſtiſſima cornu
Notificante canit, mœroribus omnia complens:
Scilicet Imperii Dominam, populique Parentem
Tentari morbo, & lenta languescere tabe.
Vos Æscullapii, vos turba perita Chironum,
Et vos Hippocratis medica de gente sequaces,
Vos ego, vos oro, fortes huc ferte metallis
Elicitos veſtra per flammas arte liquores:
Huc medicas florum vires, huc ferte potentes
Herbarum succos, & demum quidquid odoro
Pharmacopæa ſinu claudunt, spirantque salutem:
Huc portate citi, hic omnes impendite curas;
Ut Dominæ pretiosa salus, & nata gerendis
Regnorum sceptris tutâ ſtatione locetur.
Hoc Roſſæ gentis votum eſt, hæc vota Senatûs,
Vota Ducum sunt hæc, armatarumque cohortum.
Jam quid Relligio Lojolâ nata Parente,
Et Dominæ servata manu sceptroque potente?
Quas non illa preces Divorum fundit ad aras?
Quæ non sacra litat? quos non ad ſidera planctus
Mittit? queîs riguis non perluit imbribus ora,
Ut bona Regnatrix vegetam Pyliamque senectam
Ad commune bonum florentibus impleat annis?

O Auguſta Parens, Protectrix magna Clientum!
Qui de te ægrotâ noſtras incurrit in aures,
Non erat is rumor, verùm exitiabile fulmen:
Nam velut irato dum depluus ignis Olympo
Afflârit quenquam, ſtupet ille à senſibus orbus
Marmoreæ ritu ſtatuæ, nec vivere sese
Censet, quantumvis vitales hauriat auras:
Sic ubi personuit funeſto murmure Fama,
Auguſtam Dominam morbo dominante gravari,
Hæſimus attoniti, subitus ſtupor ora ligavit,
Diriguit sangvis, gelidus per membra cucurrit

Sudor, & insvetus poſſedit pectora mœror.
Necque hic eſt luctus conclusus climate noſtro,
Verùm cum rumore dolor penetravit ad oras,
Quas habitant noſtri sacra de ſtirpe sodales.

O Hera! certa tuæ sedeat sententia menti,
Quòd non sola cohors numero conſtricta minore,
Quæ veteri pro more tua ditione tenetur,
Antiquasque colit sedes, & veſte, bonisque
Poſſeſſis gaudet, modò luctu marcet amaro;
Sed quicunque Ducis Lojolæ caſtra secuti,
Nunc autem mutare togas, excedere tectis,
Aut Patriâ extorres, alienas quærere terras
Juſsi, ſive bibunt Rheni Rhodanive fluenta,
Seu prope Moldavam, aut Tiberini fluminis undas,
Aut Oderam juxta, vaſti ripasve Danubi
Deſixêre suam sedem: Lechicasve per urbes,
Lithvanasve domos, Musarum munia tractant:
Ad quos te rumor feralis pertulit ægram,
Nuntius hic omnes planctu divexat acerbo,
Et movet, ut doleant Auguſtâ Matre dolente.
Et, ſic quos Socios Lojolæ regula fecit,
Hos eadem pariter Socios facit eſſe doloris.
Nec dolor hic ſterilis, sed votis aſtra fatigat,
Templa replet precibus, Divino altaria farre,
Divorum in cultum plenas exhaurit acerras,
Et ſtipe collata dextras locupletat egenas,
Floreat ut Princeps vegetos longæva per annos,
Atque beet Regnum, vivat regnoque beata.

E C L O G A

Occasione alicujus tempestatis.

Damaetas & Daphnis.

Damæt: O! ego Damætas irato ſidere natus
Quid lucem aspicio vitalique aere vescor?
Optârim satius, nigræ mea fila Sorores
Ante colum expensam ferro inclemente secarent,

Quàm ſinerent fatis adeò me triſtibus uti.
Daphn: Quid quereris, sortemque doles peracerbus iniquam?
Damœt: Quam patior, vis dira mali sermonibus ullis
Haud valet expromi. Lævo me lumine vidit
Pan, Satyrique truces, nimiùm mihi dura propago.
Daphn: Pande, quod afflicto reſidet sub pectore vulnus?
Damœt: Vulnus atrox, nullisque herbis medicabile vulnus.
Daphn: Dic age, cum socio tacitum partire dolorem,
Ut minor hoc pacto fiat, leviùsque feratur:
Qualis ego nuper nimio mœrore fatiscens,
Poſteaquàm magale novum, quod vimine lento
Bis quinos omninò dies molimine magno
Colle super viridi ſtruxi, culmenque virenti
Imposui juncô, ſtridens Aquilone procella
Corripuit subitò, raptamque per àera sparſit,
Ingemui: Sociisque meis ubi narro ruinam,
Immodicum senſi mihi decreviſſe dolorem.
Damœt: Eruerit subitus centum magalia turbo,
Æquo animo ferrem non irreparabile damnum.
Eſt mihi docta manus certam librare bipennem,
Molirique casas; præſtò eſt magalibus apta
Materies: viden, ùt vallis contermina lentum
Vimen, & intonsas salices, juncumque virentem
Fundit, & adjectà nutrit viburna palude.
Non ego conſtructis sævum magalibus Eurum,
Nec Boream triſtem metuo, Caurumve minacem:
Siquid ventorum præceps everterit ira,
Hæc reſtaurabit facili molimine dextra.
Damnum, quod subii, nulla reparabitur arte.
Daphn: Quod damnum? dic, anne tuum celabis amicum?
Damœt: O fortunati! quorum grex integer agros
Per virides errat, per prata nitentia, perque
Herbiferos montes; Lybici non ungve leonis,
Nonque lupi rictu, non urſi dente minutus
Exultat cum vere novo, & gemmantia carpens
Gramina, diſtendit tenerà pingvedine corpus.
Heu mihi! cùi fato parili gaudere negatum eſt.
Daphn: Perspicio tandem, quodnam sub pectore triſti
Vulnus hiet, quantam gregibus trux bellua cladem
Intulit. *Damœt:* Ah diram cladem, cladenque cruentis
Deflendam lachrymis: qualem, dum vivitur ætas
In cura pecorum, nullus mihi fecerat annus.

Daphn: Quæ porro tam atrox clades? tenerosne bidentes,
An fœtarum aliquam rabies invisa luporum
Corripuit? *Damæt:* Quatuor, pretiosi velleris, agni
Insignes specie, niveoque colore nitentes,
Qui gregibus reliquis ad pascua læta præibant
More Ducum, quotiesque lupus tentabat ovile,
Adversis toties petièrunt cornibus hostem,
In prædam cessere lupis; minus esset acerbum,
De grege si capri periissent octo protervi.
Daphn: Deteriora lupus spernit, meliora reposcit:
Ut pretiosa magis fures auferre laborant.
Id tamen est mirum: fuerant qui robore tanto
Agni, non pepulêre lupum. *Damæt:* Lupus unus & alter
Si foret, haud dubites, cornutâ fronte meorum
Heroum validè pulsatus vertere terga,
Inque suas latebras remeare fuisset adactus.
At quoniam silvis agmen crudele luporum
Et numero, & rabie metuendum excivit Erynnis,
Atque mei gregis exitiò pingvescere jussit:
Quis, rogo, tam immanem pestem repressérit agnus?
Daphn: Quid tua tunc pecori custodia fida molossi
Grandes egerunt, ursisque, lupisque vel ipso
Gens metuenda sono? quidve Asbolus acer?
Quid rufus Lælaps suffusus sanguine & igne
Terribiles oculos? quid apris infesta Lycisca
Exagitare potens campis genus omne ferarum?
Anne metu riguere canes, somnove sepulti
Torpuerant? *Damæt:* Vigiles magnis latratibus hosti
Instabant: verùm pauci superare ferarum
Vim tantam haud poterant; etiam, si Cerberus ipse,
Plutonis quem vincla tenent, ab sede reductus
Adfuerit Stygiâ, tot tantorumque luporum
Occursu tremefactus Tænaria antra petisset.
Daphn: Deficit auxilium, nullâ succurritur arte,
Si superi punisse velint. *Damæt:* Verissima narras:
Sic erat in fatis, quæ me præsaga futuri
Ante dies multos monuerunt. Scilicet altus
E medio cælo dum Cynthius ureret agros,
Æstu defessum platani viridantis in umbram
Cogebam pecus: ecce autem super æquore campi
Latè excurrentis, legio mansveta columbæ
Conquirunt pastum: cum sveti vivere rapto

Et multâ infames insontûm cæde volucrum
Accipitres nemorum latebris, cæcisque cavernis
Prorumpunt. Rebar nubem cum turbine ferri,
Sic denſi, celeresque ibant, pavidasque columbas
Fulmineo cursu, roſtris atque ungve petebant.
Illæ ubi contuitæ pennis pernicibus hoſtem
Desuper allabi innumerum cupidumque cruoris,
Se certant servare fugâ, timor incitat alas:
Quà via tuta, ruunt, ſtridetque volatibus æther.
Acriùs accipitres inſtant, timidamque cohortem
Exagitant, jam jamque tenent has ungvibus uncis,
Roſtro alias: reliquas vaſto super àére sparsas
Veſtigant ſtimulante fame, & celerante volatum,
Tum nitidas quatuor niveo candore columbas
Corripiunt, raptasque ad nota cubilia portant.
Jam tunc præsensi mihi fato infauſta parari:
Sed quid tale foret, quod triſtia fata pararent,
Me penitus latuit: semper tamen angor habebat
Pulsatum curis animum, ne fortè ſiniſtrum
Quid, pecorique meo funeſtum hæc visa notarent.
Tum nova causa metûs alio me perculit ictu.
Dum pecus aprici saturatum gramine campi
Sub viridi recubat platano, & frondentibus umbris
Ardorem solis prohibet: me Nympha coégit
Corticeas inflare tubas & fallere cantu
Tempus, & obrepentem oculis arcere soporem.
Intereà vehemens Boreâ sufflante procella
Cum nebulis nimbos glomerans, & grandine fœta
Abscondit subitò nigrâ caligine terras.
It sonitus cælô, ruptus micat ignibus æther,
Imbribus arva natant, lapides pluit aura gelatos:
Percuſſum ſtrepit omne nemus, pecus omne tremiscit
Dans triſti mugitu ſigna horrenda timoris,
Luctisonisque canes pulsant ululatibus auras.
Omnia miscentur, summus pavor occupat omnes,
Ac ſi corrueret subverso cardine mundus.
Obrigui, ſteterantque comæ, per membra cucurrit
Ter gelidus sudor. Tempeſtas sumit eundo
Vires, & quatuor celsas è sedibus ornos
Evellit violenta suis, perque àéra tollit.
O Superi! (has tandem tremulas formidine voces
Deprompſi) o Superi! video, mihi peſſima quæque

Omina ſignari Boreâ, numerôque quaternô:
Scilicet accipitres Aquilone ferente citati
Ante meos oculos quatuor rapuêre columbas:
Nunc Boreâ inſtigante furens silvasque fatigans
Tempeſtas quatuor magnas radicibus ornos
Eruit, invisamque ferox avexit in oram.
Paſtores Boream, Boreamque armenta timete.
Hæc ego tum pavidus dixi, incertusque futuri,
Me, pecudesque meas quænam fortuna maneret.
At modò jam didici casu malè doctus iniquo,
Damui, quò doleo, hæc præsagia tecta fuiſſe:
Nempe quid accipitres ſignarent, quidve columbæ,
Quid nigra tempeſtas, quid motæ sedibus orni,
Evulsæque, vagum longèque per äera vectæ,
Jam didici infelix: (o ſi nunquam didiciſſem!)
O mea cura agni! vos orni, vosque columbæ,
Vos ego conspicuos, ceu lotas lacte columbas,
Albicomo vidi portantes vellere byſſum:
Quin etiam, cui cura gregis, miratus Apollo eſt,
Vos inter reliquas tantùm eminuiſſe bidentes,
Quantùm inter teneras salices vetus eminet ornus.

EUCHARISTICON

Serenissimo STANISLAO AUGUSTO *Poloniarum Regi pro aureo Numismate.*

Si mihi tot vires, AUGUSTE, Camœna dediſſet,
Ut tibi regificô pariles pro munere grates
Solvere ſim potis: hìc impendere, quidquid ineſſet
Roboris ingenio, mentisque litare vigorem,
Noctes atque dies mihi pectore cura sederet.
At quoniam multis confecta laboribus ætas
Ingenii florem vario contrivit in usu,
Tardaque triſte gelu senio spargente per oſſa
Vividior mihi sangvis hebet, sensusque ſtupescunt,
Vis etiam morbi solidum dominata per annum
Relliquias Phœbi Aonios reſtinxerat ignes:
REX, poteronè tuis benefactis digna profari?

Attamen audendum: tali cum Principe res eſt,
Qui magè, quàm donum, pensat satagentis amorem.
Sic etiam Superis, ſi magno corde ferantur,
Munera parva placent. Divûm non semper ad aras
Cornibus auratis procumbit victima taurus:
Sæpe caprâ mactatâ, sæpe litatur & agnâ.
Quin etiam, ſi quis paucas demittat acerrâ
Particulas thuris, tenuesque incendat odores,
Aut modico aspergat supplex altaria flore:
Exauditus abit donis super aſtra receptis.
Sic agis, o Princeps, magnorum more Deorum
Magna aliis donas, nec reddi magna requiris;
Idque facis non vanæ inſtinctus laudis amore,
Sed Patriæ ut proſis: quæ Regum maxima laus eſt.

Tempus erat quondam Lechici sub cardine cæli,
Quando Caſtalides tetricæ ſine voce sedebant,
Marcebant lauri, raro potore relicti
Aonii fontes complebant murmure ripas,
Et neglecta suas latè dabat unda querelas:
Curſibus abſtinuit pigrà ſtatione quietus
Pegasus, & volucres à se dimoverat alas;
At poſtquàm Superûm nutu, gentisque favore,
Rex Auguste, tibi rerum delata poteſtas:
Parnaſſus vegetas nova germina prodere lauros,
Caſtalium ad fontem numerosa accurrere turba,
Pegasus alato ferri super æthera nisu,
Cœperuntque tuis sceptris regnare Camœnæ.
Et quidni capiat Parnaſſia silva vigorem,
Quam, Rex, ipse rigas Pactoli divite lympha?
Cur modò non sapiat permultis Caſtalis unda,
Quam collata facis, Princeps, per præmia dulcem?
Aut cur non edat rapidos super àere saltus
Bellerophontis equus, cui tu calcarìa subdis
Aurea? cur Musæ nolint hìc ſigere sedem,
Quas recreas vultu & largà mercede coronas
Rex & Apollo ſimul, lauroque auroque decorus?

Sunt, qui Bellonæ in lauris feſtisque triumphis
Immortale suum nomenque decusque reponunt,
Ac ſi per clades, & ſtrata cadavera campis
Eximiam ad laudem graſſari illuſtriùs eſſet,
Nobiliorque foret laurus nutrita cruore.

Pace tua, Gradive furens, quod sentio, dicam:
Horresco cædes, truculentis pulchrior absque
Funeribus laurus, tetris non mixta cupreſſis:
Quàm quæ regnanti multorum morte suorum
Conſtitit. Hæc etenim cives regno eripit: illa
Conservat cives, & regnum civibus ornat.
Tales tu lauros conniteris, optime Princeps,
In Patria plantare tua viridaria Muſis,
Quæque juvant plantas alias, hæc omnia præſtas.
Ut viror arboribus decus addat, Phœbus & imber,
Hæ geminæ pariter debent succurrere causæ:
Phœbus, ut irradiet plantas, foveatque calore;
Imber, ut irriguus plantis alimenta miniſtret.
Rex, agis hæc eadem: Musarum ut laurea silva
Augmentum sumat, Lechicisque virescat in arvis,
Auriferum spargis nimbum, vultûsque sereni
Lumine respectas, & pulchræ laudis honore
Igniculos subdis, recreandis artibus aptos.

Quæ res, quàm valeant, quid laus, quid præmia poſſint,
Tros Anchiſiades Siculas delatus ad oras
Teſtis erit. Ludos iſtâ facturus arenâ
Alipedem phaleris oſtrôque aurôque superbis
Inſignem ſtatuit: pharetramque ex ordine gemmis
Bellè dispoſitis rutilam, galeamque comantem
Frontibus ereptam Danais in luce locavit;
Has ubi mercedes vidit Trojana juventus,
Nisus & Euryalus, virides annisque sodales,
Incaluêre animis, torpor piger oſſa reliquit:
Utque dedit ſignum cornu raucum ore sonoro,
Corripuêre viam celeres, & curſibus Euros
Aligeros æquant, volitantque per æquora campì
Incenſi pulchræ flagrante cupidine laudis,
Ac doni expoſiti. Fervent certamìna ludo,
Pulverulenta pedum pulsu volat excita nubes,
Et subitâ rutilum fuscat caligine solem.
Tantum laudis amor valuit, sperataque merces!
Tu quoque Rex, animos Polonæ Gentis iisdem
Inflammas facibûs, ne tardo lentula paſſu
Torpeat, aſt alacris Musarum currat arenâ.

Non mihi divini facunda Camœna Maronis
Occinat Auguſtum, qui totum fascibus orbem

Terruit, & placido spectavit lumine Musas:
Nec Mecœnatem, Parnaſſo nomen amicum,
Præſidiumque suum tollat sub ſidera Flaccus:
Scilicet hi geminos tantùm coluère Poëtas
Muneribus sparſis: tu, quisquis Pallade dignum
Ingeniò procudat opus, tua dona profundis.
In tua ſi fluerent, Princeps, æraria multo
Auro fœti amnes, Hermus, Pactolus, Hydaspes,
Atque Tagus, fulvas veherentque in præmia gazas,
Non tibi sufficerent. Tanto te vincit amore
Palladiæ virtutis honos, ut viscere ſi quas
Divitias tellus, vel ſi quæ Pontus abyſſo
Cæruleâ servet cognata monilia conchis,
Illa minùs reputes, quàm doctæ dona Minervæ
Pulchras mentis opes, quarum ditiſſimus ipse
Illis percaram Patriam ditare peroptas.
Hæc primas inter curas te cura fatigat,
Ut Regnum, Rex docte, tuæ sub tegmine lauri
Nobilitate virens Musarum floreat arte.

Jamque tuis curis, Muſisque faventibus artes
Ingenuæ Lechico posuerunt climate sedem.
Jam narrat rerum seriem per tempora texens
Hiſtoria, antiquis fuerant quæ geſta sub annis:
Qui Reges, fortesque duces, aut sceptra tenebant,
Aut clavas? quæ toto arserunt prælia mundo?
Quæ variè excultas vario sub ſidere gentes
Frena coërcebant legum? quæ fœdera pacis
Regnorumque vices? qui armorum Martius usus
Bellandique modus? qui relligione sacrati
Ritus? qui mores populis? jam circinus orbem
Metitur Lechicus, tabulasque in lumine ponit,
Quêis vaſtas mundi deſignat quattuor oras,
Europam atque Aſiam, & quæ tellus suſtinet Afros,
Ac priùs ignotam, poſt plurima sæcla retectam
Americam primâ contactam nave Columbi, et
Quid quàcunque plagâ rarum, dignumque notatu:
Qui montes dirimant, quæ sulcent flumina terras,
Et quibus in terris argento, auroque fodinæ
Scintillent, sub aquis gemmas quæ cærula condant,
Quæ maria infames scopulos, triſtesque charybdes,
Et brevia, & syrtes, tortosque voragine fluctus

Navibus exitium certum fatalibus alvêis
Contineant, vitreumque parent sub fonte sepulchrum:
Quive ſitus, vel opes, portusve, urbesvé, vel arces
Sint quavis regione: tenet iam Lechica pubes.

Jam vigil Aſtronomus totô spatiatur Olympô,
Et Solis Lunæque vias luſtrator oberrans,
Sidereosque sequens cursus, ſtabilesque choreas
Inſtabilis cæli, per vitra fidelia discit,
Quæ labes insunt aſtris, quæ cuique figura,
Quàm motus celer eſt, & quæ diſtantia terris,
Quàmque frequens quædam cuſtodiat aſtra satelles,
Et quêis Lechiadûm ſint climata subdita ſtellis,
Discit, & Externis, quæ sunt ignota, revelat,
Atque per hæc agitata viris commertia doctis
Latiùs extendit Polona scientia fines,
Non contenta suæ regionis limite claudi.
Jam sectatores numerat Geometria plures,
Qui tractandæ artis, mensurarumque periti
Æquora non solùm plani latiſſima fundi,
Aſt etiam cœno inseſſas adituque paludes
Difficiles, montesque altos, & inhospita tesqua
Ulnarum numerô valeant comprêndere certô.
Præterea fabricare ædes, educere turres,
Condere magnificis auguſta palatia tectis,
Molirique arces, & firmô includere vallô,
Undarumque vagô thyasô circumdare molem,
Ac opus in quodvis non segnem intendere curam, ut
Sit fabricæ decor utilis, utilitasque decora,
Adsunt, qui scitè tradant præcepta, Magiſtri.
Mitto artes reliquas civilibus uſibus aptas,
Quæ secum attulerant Polonæ commoda Genti.

Hæc tua laus, Princeps, nullô delebilis ævô,
Quam Pario solers donabit marmore Fragmon,
Atque Corinthiaco Phidias animabit in ære.
O Lechiæ Regnum felix sapiente Monarcha!
A capite in corpus sapientia namque redundat.
Hoc, superi, servate caput violabile nullis
Fortunæ teliis! Audite, quid aſtra reponant:
Præſidium dabit ipsa ſibi sapientia, triſtes
Avertet casus: non tangent fulmina laurum.
Sunt gentis vota hæc, subscribunt Numina votis.

AD POETAM

Rasis capitibus Polonorum insultantem.

Cur insveta moves, novus Heros, prælia contra
Polonis rasos antiquo more capillos,
Diſtringisque ſtylum, quem mordax Zoilus offert?
Sunt jam privati vitâ, jam parce recifis.
Et lex nulla vetat resecare superflua vitæ, et
Noxia non rarò: rem dant exempla videre.

Andivi nuper, veſtra de gente sodalem
Dependente coma, & Polonum vertice raso
Tecta subingreſſos, ubi fundit vina Lyæus.
Ergo dum vacuant calices & pocula ſiccant,
Incaluère mero, & quod tali usuvenit æſtu,
Inter bellaces homines eſt rixa coorta.
Ventum eſt ad pugnos, manibusque insurgit uterque
In caput alterius: verùm felicior iſta
In pugna Polonus erat, cui præbuit ansam
Teutonis ampla coma: hanc ferveus ubi corripit ille,
Implicat extenſis digitos cum crinibus uncos,
Exagitat dirisque modis exercet egentem
Auxilii: ſimiles attentat Teuto rapinas,
Verùm Polonus sese brevitate capilli
Elabi gaudet. Succlamat Teuto: juvate.
Accurrunt socii, sedenim molimine caſſo:
Polonus ſiquidem crines harpagine bina
Sic tenet, ut nulla poſſit divellier arte.
Hinc rogat ille miser: socii, succidite crines.
Parent, succidunt; ſic tandem pugna dirempta eſt.

En longi & capiti afflicto nocuêre capilli,
Et ſibi: nam triſti fato cecidêre resecti.
At tu, qui salso perſtringis scommate rasum,
In ſimili facto, quod damnas, ipse notaris.
Cur tibi non pateris sub naso crescere silvam,
Sed persæpe jubes peracuto cædere ferro?
Cur te barbatum non vis? Venerabilis audis
Jam modò, sed tunc plus eſſes Venerabilis Abbas.
Si renuis, noli rasos damnare capillos.
Ecce, sacer cœtus, cujus tu diceris Abbas,

Ecce caput radit, vaſtumque efformat in orbem
Rasuram capitis, perpauco crine relicto,
Tu corradis opes ejus de fenore dives.
Quàm pulchrum pendunt tibi tempora rasa tributum!
Attamen illa tuo compungis acumine, vates.
Deſine jam tandem; paucis rem finio verbis:
Vertice ſitne piloso quis, rasone, quid ad te?

ELEGIA.

In Comitiis Inaugurationis Regis Stanislai Augusti *Celsissimus Princeps ac Rndssmus Dnus Antistes Cracoviensis & Senator* Cajetanus Ignatius Solticus, *memorabili Oratione quam habuit, impense obsecravit Suam Regiam Majestatem atque Rempublicam, ut* Augusti III. *Regis ac ipsius conjugis* Mariæ Josephæ *corpora è Saxonia in Poloniam deportarentur, atque Cracoviæ debito more veterum Poloniæ Regum sepulcro inferrentur; hoc igitur factô permotus Pòëta noster Principem Antistitem sequenti carmine est prosecutus.*

Augustus III. *Poloniarum Rex Cajetano Cracoviensium Episcopo ex Campis Elysiis.*

Conceſſum Harpocrati satis eſt: semperne tacebo,
Et mea secreto pectore sensa premam?
Tertia jam meſſis flavas detondet ariſtas,
Ex quo noſtra tibi littera nulla data eſt.
Hinc ſi forte putes, quod noſtram oblivio mentem
Obruat: hac animus suspicione vacet.
Dum celer Elyſias cymba portarer ad oras,
Eſt mea Lethæo tincta carina vado:
Sed mea Lethæis mens non eſt pota fluentis,
Ut, Caitane, tui deſinat eſſe memor.
Quam teneo, Divûm sedes oblivia nescit,
Nescit dilectos non meminiſſe suos.
Dum mihi septa fuit mortali corpore vita,
Plurima queis animus diſtraheretur erant.

Pars in Familiæ curam non parva diei,
Pars in Rempublicam contribuenda fuit.
Quot mihi, vos teſtes Superi! contriverat horas
Turba per inſtantes sæpe moleſta preces.
Iſte Senatorum veſtiri murice poscit,
Militiæ clavam vendicat ille ſibi;
Proque suis Natis hic orat: poſtulat alter,
Gaudeat ut Frater nobiliore loco.
Si quibus intentat decreta timenda Tribunal,
Ad solium accurrunt, auxiliumque rogant.
Interea rapiunt diversa negotia mentem,
Nec vacuam curis triſtibus eſſe ſinunt.
Damna ferunt miseri, paupertas ære levanda eſt:
Accusant, pœna eſt conſtituenda reo.
Conſiliis opus eſt, Procerum cogenda corona:
Cursor abit, celeri littera danda manu.
Hoſtis adeſt, gravibus suspirat Saxo sub armis:
Suppetiæ debent arte vel ense dari.
Sic ubi sollicitus multorum commoda curo,
Talibus in ſtudiis vita peracta mihi.
Principis hæc sors eſt, ut, dum sua regna gubernat,
Nunquam ſit dominus temporis ipse sui.
Funera quid memorem toties defleta meorum?
Quàm sæpe in luctu noxque, diesque fuit!
Extremo sua fata die lectiſſima Conjux
Clauserat, & Matrem Nata secuta suam:
Nata, cui spumans auro parebat Iberus,
Et cui vectigal terra Sicana dabat:
Cujus in Imperio Titan non occidit unquam,
Deploranda oculis occidit illa meis.
Tum vidi, quod ſit rerum variabilis ordo,
Et petat excelsum summa procella caput.
Mors caras animas, terras mihi Pruſſus ademit:
Bis ſimul infelix, orbus & exul, eram.
O Superi! (libuit teſtari voce dolorem,
Qui ſi prorumpat mitior eſſe solet,)
O Superi! quibus eſt rerum suprema poteſtas,
Qui regitis terras, qui mare, quique polum:
Nil geritur casu: triſtis, seu prospera res ſit,
Veſtris conſiliis res agitata venit.
Seu cælum affulſit, veſtro data numine lux eſt:
Seu tonuit, veſtra fulmen ab arce ruit.

Non ego consilium sacris penetralibus actum
Damno, sed veniam supplice posco prece:
Infensas cohibete manus, & parcite tandem
Dura tot in miserum tela rotare caput.
Si quas commerui, ultrices suspendite pœnas,
Nec cumulate novis vulnera vulneribus.
Non mihi durato cor est adamante recusum,
Nec natura meas duxerat ære fibras:
Sum mortalis ego, quamvis me Juppiter altus
Extulit, & rerum frena tenenda dedit:
Sum mortalis homo, quem magni dextra Tonantis,
E fragili massa, labile finxit opus.
Num Superis laus est, vili contendere limo,
Aut frangi calamos omnipotente manu?
Hos ego, Divorum sacras prostratus ad aras,
Fundebam tristes corde dolente sonos.
Ac veluti turtur, viduatus conjuge cara,
Et nido pulsus, nocte dieque gemit:
Sic ego complebam lacrymosis questibus auras
Dum mihi nata, uxor, Patria rapta fuit.
Cajetane vides, si tot quassata procellis
Mens mea non potuit non meminisse tui:
Tene obliviscar, memorique è corde movebo,
Dum me curarum nulla procella rotat?
Jam teneo portum: tuta statione quiescit
Cymba, per adversos quæ fuit acta Notos.
Non me Gradivi feralia classica turbant:
Hunc, ubi lætus ago, pax tenet alma locum.
Deposui diadema, cui est solemne gravare:
Sceptra mihi dederant nobiliora Dii.
Dum tamen ad Lechiam mea verto lumina: lætor,
Quod regitur ratis hæc a sapiente Tiphi.
Nec mea curarum stimuli præcordia pungunt,
Cum natale animo sæpe pererro solum.
Jam reparat fractas bello Saxonia vires,
Firmo Xaverii fulta patrocinio:
Donec tractandis sceptris adolescat & armis
Ingenuus, vigili Matre fovente, Nepos.
Non doleo extinctum Natum, sed gaudia testor,
Quod citus ad sedes venerit ille meas.
Nec licet in luctum solvi, quod Nata, vel Uxor
Est præmaturo funere rapta mihi.

Quas complorabam amiſſas, utramque recepi:
Eſtque Viro Conjux reddita, Nata Patri.
Ducimus hìc alacres multo felicius ævum,
Quàm vel summà hominum fingere vota queant.
Omnia terrarum modò mens solatia spernit,
Æternaturis exsatiata bonis.
Namque supernarum svaviſſima copia rerum,
Quem, rogo, non satiet, quâ DEUS ipse satur?
Et licèt immenſis Superûm circumfluo donis,
Sidereo celsum nactus in Orbe locum:
Non tamen e rerum sublimi culmine temno,
Si quos mortalis carcere vita tenet.
Promittebat opem Pharius Pincerna Josepho,
Quando miser parili compede vinctus erat;
At poſtquam liber Regum remeavit ad aulam,
Promiſſis fallax non ſtetit ille suis.
Ingratos animos, naturæ immania monſtra
Odi, nec Lybicis monſtra ferenda plagis.
Nobis Cælicolis cæli natura sequenda eſt,
Quæ terris hauſtas sponte refundit aquas.
Sic ego conſimili facto benefacta rependo,
Quique mihi servant, his ego servo fidem.
Quos vivus ſtabili fueram complexus amore,
Hos etiam, vitæ munere functus, amo.
Tu, Caitane, mihi fueras Hephæſtion alter,
Tu quoque præ multis nunc mihi carus eris.
Ut taceam veteremque fidem factisque probatam:
Quæ nova sunt tantùm commemoraſſe juvat.
Rege coronato nuper, scio, qualia feſto
In Procerum cœtu vota fuêre tua:
Vota, tuum certum quibus es teſtatus amorem,
Vota mihi nullo non recolenda die:
Scilicet, ut cineres consumpto sanguine mœſtos,
Ac mea Lechiacum conderet oſſa solum.
Quæ dederat vivo Solium, ſi terra dediſſet
Extincto tumulum: res mihi grata foret.
Interea, quicunque locus mea corpora servet,
Spondeo: semper erit mens mea juncta tibi.

ELEGIA.

Vetustissima divæ memoriæ Stephani Bathorei *Effigies offertur* Stanislao Augusto *Poloniarum Regi, additis sequentibus elegis.*

„*Pacatumque reget patriis virtutibus Orbem*“ Virgil:

Qualis in adversos per tela micantia campos
  Iverat, expertum quà dabat enſis iter;
Accipe Sarmaticum Princeps Auguste Gradivum,
  Æternumque mei pignus amoris habe.
Hic ille eſt Stephanus, pietate inſignis & armis,
  Parrhasii quondam terror, amorque soli.
Cernis, ut in tenui tela licèt, emicat ardor
  Martius, & vigiles frons jacit alta minas!
Queis olim attonitæ tremuerunt Pergama Dunæ,
  Et mage quàm Scythico diriguêre gelu.
Aſt tibi mens parili quanquam virtute calescat,
  Cordaque magnanimo digna Parente geras;
Mitior interea frontem natura creavit,
  Ut, qui in te jaciat lumina, dicat: amo.
Gratia Dis: vultum pacati Fata sequuntur
  Principis, & Patriam munere pacis alunt.
Jamque tuis noscit Regum placidiſſime curis,
  Quàm bene ſit, sceptro pacis amante regi.
Anne etenim Musas, an amicas urbibus artes
  Excoleret, Getico bella sonante Deo?
An priscum caperent, ut nunc, sua jura vigorem,
  Si semper ſtricto jura sub ense ſilent.
An veheret merces tranquillis navita remis,
  Ne vectæ, metuens, diripiantur opes?
An bona corrupto rediiſſet forma metallo,
  Bellorum nuper contemerata lue?
Ergo alii latè regnent: tu in pace guberna,
  Et tua ſint potius regna beata, ſtude.
Quid juvat ingentes sceptro moderarier oras,
  Sanguine ſi plebis venditur ulna soli?
Quid juvat ambitos meruiſſe ex hoſte triumphos,
  Quos celebres hominum carnificina facit?

Quid juvat implicitos lauro portare capillos,
Et speciosum alta fronte referre nefas?
Ecquis non doleat, manibus poſt terga ligatis,
More canum, tractos per fora longa Duces?
Quis matres natis, natosque parentibus orbos,
Consciſſâ, lacrymis, veſte, rigare ſinum?
Raptorisque sui feſtivas ante curules,
Expreſſa in tabulis oppida capta vehi?
Parce precor, quamvis celebres, veneranda vetuſtas!
Laudibus Emathium mille per ora Ducem;
Non ego laudabo flentem, victore Philippo,
Quod ſibi famæ spes omnis adempta foret:
Non, quod despectis Europæ finibus, iret
Vindice versurus Perſidis arva manu.
Unius interea dominandi sæva cupido
Vix non concuſſam cardine movit humum:
Unius arbitrio gentes & regna ruebant:
Unius eſt tellus crimine facta nocens.
Utque ferox juvenis victoris nomen haberet,
Proh Superi! mundus debuit eſſe miser.
Ite procul, duri miseranda trophæa Gradivi,
Et Regno & populis exitiale decus!
Non lati fines, non longa potentia magnos
Efficiunt Reges: fama petenda alio eſt.
Magni nomen habet; qui non sua bella recenset,
Profusa in Patriam sed benefacta suam.
Magni nomen habet; quo certum eſt sospite, cunctos
Adverſis populos poſſe carere malis.
Magni nomen habet; qui terris lætus avitis,
Plurima non, quàm quæ fas retinere, cupit.
Quem non lictorum ſtipant metuenda securi
Agmina, sed gentis fidus obarmat amor.
Quem Musæ comites cingunt: quem Copia, quem Pax,
Quem Pietas fraudis nescia, sancta Fides.
Ille etiam victor potiori jure feretur,
Quem peregrinus amat non minus, atque suus.
Exiguam Creten Minos ditione tenebat:
Nec Pylio centum regna fuêre Seni.
Non erat, ut nunc eſt Latium, sub rege Sabino:
Parvaque Dulichio sub duce terra fuit.
Dum Macedo interea nomen raptoris habebit,
Hos dicent semper sæcula grata, Patres.

Iſtorum exemplum Princeps generoſe sequare:
    Pace tibi populi gloria major erit.
Jamque facis, jam plura tuus bona computat annus,
    Quàm ſi regnaſſes Martia luſtra decem.
Poſteritasque legens tua facta fatebitur omnis:
    Terram alii, dederat STANESILAUS *opes.*

ELEGIA

Illmo Excellentissimo Dno Antonio Comiti PRZEZDZIECKI *Procancellario M. D. L. Præfecto Castri Pinscensis, Metropolim suæ Præfecturæ adeunti.*

Romulidûm Vates! cujus, ſi credere fas eſt,
    Condita Pinsciadûm finibus oſſa cubant:
Nam modò quæ multas tellus parit uda paludes,
    Temporibus priscis, nil, niſi pontus erat:
Rumpe moras segnes, & duros excute somnos,
    Nunc juvat Aoniam sollicitare lyram.
Non tibi flebilibus numeris Elegia sonabit,
    Hâc datur exilio nullus in Urbe locus.
Hoc Patriam, hoc dulcem cernes sub climate Romam,
    Eſt Latium nunc, quæ Sarmatis ora fuit.
Mitior hic Augustus adeſt, quo sceptra tenente
    Ultricem nemo senserat usque manum.
Nec desunt Proceres, quorum ſi facta retexam,
    Eſt opus eloquio, Naso Pòëta, tuo.
Primus tete offers noſtris PRZEZDZIECCIE Muſis,
    Ampla mihi laudum nascitur inde seges.
Non ego te metuam priscis conferre Latinis,
    Ingenio tantum promptus, & ore vales.
Nam tua facundo Ciceroni eſt æmula fandi
    Copia, conſiliis cedit et ipse Cato.
Non Patria labente Cato; te vidimus omnes
    Nutanti Patriæ supposuiſſe manum.
Jamque adeò teneris, quantus celebraris, ab annis,
    Non humili indicio ima juventa fuit:
Nam vix Caſtalidûm linquens penetrale sororum
    Miſiſti patriam sub tua jura Domum;

Mox tibi supremos Gedimini Themis honores
    Detulit, & fidei se dedit ipsa tuæ.
Quæque aliis seris autumnus contulit annis,
    Ætatis tenerum ver tibi dona dedit.
Et bene; nam nusquam patriæ reverentia legis,
    Vel viguit melius, vel mage tuta fuit.
Edomitum crimen, rabies compreſſa nocendi,
    Compoſitæ lites, queis mora longa fuit.
Te Duce non gemuit tutore oppreſſus iniquo
    Orphanus, & pauper te Duce tutus erat,
Turpe nec ignavas mentes vitiaverat aurum,
    Aurum, quod ferrô plus feritatis habet.
Sed pietas, sed diva fides, sed jura, sed æquum,
    Sed Patriæ pulcher cuncta regebat amor.
Hæc tam clara tuæ fuerant primordia famæ,
    Quæ modò jam nullo limite septa volat.
Nam tibi cum vita meritorum augetur & annis
    Pondus, & omnis habet, qui probet, acta dies.
Inde eſt, quòd Princeps, Proceres, Eques atquè Sacerdos
    Officium exposcant conſiliumque tuum.
Inde eſt, quòd populo placeas, placeasque senatuî,
    Et digna à summo Principe dona feras.
Ille tibi nuper meritum teſtatus amorem,
    Commiſit fidei pulchra ſigilla tuæ,
Teque Poleſſiacis Prætorem fecit in oris,
    Quà vehit innocuo flumine Pina rates.
Jamque ille agnoscens Dominum, sonat undique fluctu
    Lætifico, & tardas acrior urget aquas,
Cæruleumque caput juncô præcinctus avitô
    Fatidico tales fundit ab ore sonos:
Dum noſtræ Euxini labentur in æquora lymphæ,
    Dumque meas creber mergus amabit aquas,
Concordique ibunt ter quinque fluenta meatu,
    Evenient votis omnia læta tuis.

Do Tegoż.

Sprawiedliwości! godnym co daiesz korony,
    Godnym urzędy, godnym honor zasłużony,
Ty umiesz i nadgradzać i wielbić zasługi,
Nadgroda twa chwalebna, chwała trwa wiek długi,
Ty swego użycz głosu na słuszne pochwały
Godnego Pieczętarza, bo im Parnas mały.

Słabe głosy Muz samych zrównane z głosami
Słuszności; te są prawdą, tamte są baykami.
Więc nie Muzy, lecz sama sprawiedliwość głosi,
Iż z sobą ten Pan szczęście Pińskowi przynosi.
Ten kray iego mądrością będąc zalecony,
Pewien iest ozdob swoich, i praw swych obrony.
Które umiały wspierać Oyczyznę przymioty,
Które Oyczyzna teraz nadgradza mu cnoty,
Te pewnie uszczęśliwią i Poleskie kraie;
Dobroć im Pańska iego nadziei dodaie.
Z radością więc na miły wiazd iego patrzaią,
Szczęścia z nim, chwały, rządu tęskliwie żądaią,
Wesele ich nie próżne, skuteczne żądania:
Sprawiedliwości muszą prawdziwe być zdania.

ELEGIA

Ad Illustrissimum Præsulem Josephum Załuski.

Curre per æthereos non segnis epiſtola campos,
Curre gradu celeres antevolante Notos;
Atque illuc levibus præpes delabere pennis,
Quà rapidus flavas Viſtula volvit aquas.
Hujus in excelſis recubans Varsavia ripis
Ardua turritum tollit in aſtra caput.
Sarmatici hæc Regni sedes, Regumque potentûm
Ampla domus, magnis nobilis aula viris,
Conſiliique locus: quò clari ſtemmate multo
Conveniunt Equites Purpureique Patres.
Hìc gens Lechiadûm Libertatemque Fidemque
Hæc duo perpetuo Numina thure colit.
Huc tibi cursus erit per jugera multa tenendus,
Iſthìc certa tuæ meta futura viæ.
Hanc ubi conspicuam cultu penetraveris Urbem,
Ne per Magnatum tecta vagere, cave:
Aſt perquire domum pretiosa incude sonantem,
Quæ cumulat pretio cara metalla novò.
Fixit ibi sedem conflandi conscius æris
Multiplicemque animat Mulcyber igne focum.

Et facit, ut pulchrâ ſignetur imagine Regis,
  Quæ fuit ad nullum maſſa polita modum.
Haud opus, ut quæras ædem hanc indagine multa,
  Noscendam ſtrepitu se dabit illa suo.
Non procul hinc moles latiſſima brachia tendens
  Stat Załusciadum nobile Gentis opus,
Cara domus Muſis Phœboque, referta vetuſtis
  Atque novis dives Bibliotheca libris.
Hìc veterum monumenta Patrum, Regumque ſtatuta,
  Regnorumque vices, bellaque scripta Ducum.
Quod legat hìc, Teuto, Gallus, Syrus, atque Latinus,
  Italus, Hispanus, Græcus, Hebræus habet.
Inveniet millena suæ oblectamina mentis
  Theologus, Rhetor, Scriba, Pòeta, Sòphus.
Quidquid doctrinæ toto celebratur in orbe,
  Iſtâ, quam cernes, clauditur omne domô.
Huc poſtquàm fueris cursu delata: videndam
  Se dabit in plures area secta vias;
Sed quæ Pontificis sacram deducit ad aulam,
  Hæc tibi præ reliquis una terenda via.
Id tamen observa: non te penetralibus infer,
  Si fuerint magnis illa referta Viris.
Magnanimi Proceres ſibi nota negotia tractent:
  Tempora tu expectes commodiora tibi.
Cum nullus fuerit tacitis conclavibus hospes,
  Aude, & Josephi Præsulis ora subi.
Conspicies gravitate Virum senioque decorum,
  Plurima discurrit cujus in ore Charis.
Undique circumſtant varii longo ordine libri,
  Hos inter mediô conſidet ille locô:
Atque modò hunc, aliumque modò versare diurnâ
  Nocturnâque lubens aſſolet ille manu.
Non secùs ac verni svaviſſima civis Hymetti
  Prata supervolitans otia nescit apis:
Jam thyma, jam violas, jam rubra papavera, & alba
  Lilia, & auratas carpit avara ròsas,
Et succos operosa trahens viscumque tenacem,
  Conficit hinc ceras, imbuit inde favos.
Sic manibus tractans diversa volumina Præsul
  Undique doctrinæ dulcia mella legit:
Qui ſi forte libros intenta mente volutans
  Se dederit ſtudiis immemor ipse sui:

Tu, ne præpedias susceptam à Præsule curam,
Siſte gradum, & verbis injice frena tuis.
Quodſi te placido vultu respexerit ille,
Incipe, & intrepidà talia voce refer:
Vir præclare, tuis accedo litterŭ libris,
Addor & immenso guttula parva mari.
Non ego te, Præsul, longo sermone morabor,
Pro multis donis pauca rependo: vale.

ELEGIA

Ad Clarissimum Virum JANOTZIUM *Kijoviensem Canonicum.*

Antè solo ſtellæ, cælo nascentur ariſtæ,
Potor aquæ ſiccam piscis amabit humum,
Cornigerique priùs pascentur in æquore cervi,
Quàm tuus è noſtro pectore cedat amor.
Tu mea metra suis sepeliri digna tenebris
Æternaturo lumine digna putas,
Atque tuis donas libris, ut dicere fas ſit:
Pagina conjungit, quos sociavit amor.
Hinc erit, ut, quamvis noſtrûm moriatur uterque,
Attamen in libris vivat uterque tuis.
JANOCIUM quicunque leget, leget ipse Korycìum
Non disjungendos pectore, mente, loco.
Quippe unus tumulus ſi claudere utrumque sodalem
Non potis eſt, unus claudet utrumque liber.
Sic quos verus amor mansuro fœdere junxit,
Nec mors dilectos dividet ipsa duos.
Mors eſt una, sumusque duo: haud mirabitur ulla
Poſteritas, uni prævaluiſſe duos.

In Zoilum.

Zoile, ſiquis ades, mihi tres non objice Parcas,
Dum mors carminibus dicitur una meis.
Non equidem inficior ſingi tria Numina Parcas,
At solùm Parcis è tribus una necat.
Prima net, altera convolvit, secat ultima ſtamen:
Hæc propriè mors eſt, quæ secat atque necat.

ELEGIA

Celsissimo S. R. I. Principi Ignatio Comiti KRASICKI *Episcopo Varmiensi & Sambiensi recens inaugurato.*

Musarum immortale decus, cui tempora circum
Fulget Apollinei docta corona chori,
Qui nunc Varmiacis redimita fronte tiaris,
Pontificis gemino clarus honore nites;
Huc ades o Princeps, ac te cantare paratis
Materiem, & placidam versibus affer opem.
Non ego te Illustri Comitum de sanguine natum,
(His etenim multò sunt potiora) canam.
Pars erit hæc laudum, Præsul, postrema tuarum;
Scis, quàm sit sterilis laus, celebrare genus.
Magna quidem, fateor, res est in murice nasci:
Major at à meritis nobilitatis honos.
Stemmata non faciunt magnum, & qui sola recenset
Stemmata, non proprium venditat ille decus.
Quos non legisti, sublimi è stirpe creatos
Exitiosa suæ monstra fuisse domûs?
Anne, quòd ortus erat claro Caracalla Parente,
Cæsaribus summis annumerandus erit?
Anne, quod Assyrio satus est de sanguine Regum,
Majorum famam Sardanapalus habet?
Dedecorant patrium vitiis benè nata cruorem,
Et temerant, quod non promeruere, genus.
Facta homines clarant. Factis celebrabere Princeps,
Qui genus, & meritum jungis utrumque simul.
Unde sed exoriar? si, quando cuncta revolvo,
Nulla tuæ vitæ portio laude caret?
Non tibi segnities teneros corruperat annos;
Heu, quos non juvenes inficit ista lues!
Sed propè suxisti dulces cum lacte Camœnas,
Pellebatque tuam Castalis unda sitim.
Nam modò linguarum studium, studiumque mathesis,
Implebant grata pensa diurna vice:
Nunc seriem rerum, diversaque tempora volvens,
Immensum historiæ mens repetebat opus:
Sæpe per expressum chartis spatiarier orbem,
Aut placuit patrii discere jura soli:

Cultorumque animô versare volumina Vatum,
Cumque Sophis, Latio vel Cicerone loqui.
Hinc est, quòd teneris tantùm profeceris annis,
Ut te mens senibus fecerit esse parem.
Nec deerant fructus pulchrè crescentibus herbis;
Fertilis, exacto vere, secuta seges.
Hanc primùm vidit Latiæ Pater Urbis & Orbis,
Qui tenet æterni sceptra, vicesque Dei,
Purpurei vidêre Patres, Populusque Quirini,
Inque tuas laudes Roma disorta fuit.
Ipse etiam flavus muscoso Tibris in antro,
Fluctivago tales reddidit amne sonos:
Perge bonis avibus, pulchris insistere cœptis;
Te quoquè Pontificem Sarmatis ora colet.
Dicta fides sequitur. Patrias advectus in oras,
Ingressus faustam sorte favente viam es:
Perque gradus ad summa petens virtute magistrâ,
Ominis implesti signa futura tui.
Te sibi Pontifices primùm, gens alta tiaris,
Optavêre suæ sedis habere jubar,
Inque Sacerdotum numerum voluêre referri,
Queîs auro implexum pectore fulget opus.
Mox summis rebus præponi Astræa cupivit,
Et sese arbitrio credidit ipsa tuo.
Gessisti impositum munus cum laude, nec ipse
Cecropius fertur te superasse senex.
Sub te, non partis studium, sceptrique voluntas,
Magnatumque favor, Præside, jura dabant:
Non Vindicta furens, aurique scelesta Cupido,
Sed Fas, sed nivea cum probitate Fides.
Utque solent nunquam præclara latescere facta,
Virtutique comes Gloria semper adest;
Non potuit tantos Rex ignorare labores,
Proque tuis meritis præmia digna tulit.
Teque suo junxit lateri, doctique sodalis
Alloquio, Imperii pondera dura levat.
Sed tamen in tanto Regis, Proceriimque favore,
Nil habet in mores invida lingua tuos.
Sic es magnifica semper versatus in Aula,
Ut tua sors nulli perniciosa foret.
Utque repercussum radianti à fratre nitorem
Accipit, & terris Cynthia grata refert;

Ut cives faceres propria de sorte beatos,
  Luminibus summi sideris usus eras.
Nec tibi fraudandi mens eſt, ſtudiumque nocendi,
  Dulcia cuî mitis pectora finxit Amor.
Quòd ſi forte petit Livor te dente maligno;
  Plaude tibi: summos non amat ille viros.
Novimus, ut scriptis vitiorum monſtra fatiges,
  Et procul è noſtro cogis abire solo.
Per te barbaries, luxus, moresque neſandi
  Paulatim in Stygias præcipitantur aquas.
Quæque negant flammis, & acuto cedere ferro,
  Hæc pellit calamis ingeniosa manus.
Felices populi, quos tanto Principe, quosve
  Munere tam docti Præsulis aſtra beant!
Jam mihi Varmiacis videor conſiſtere terris,
  Et lætos tacita mente tenere sonos.
Te ſibi Pontificem gratantur Templa, benignum
  Plebs Dominum, Musæ lumina, Myſta decus.
Utque diu sospes vivas, pia vota litantur,
  Thuricremisque sonant dona Sabæa focis.
Nos etiam noſtris augemus vota tuorum,
  Qui sumus & semper poscimus eſſe tui.

E L E G I A

Illustrissimo Excellentissimo ac Reverendissimo Domino, Domino Josepho Comiti in Załuskie Załuski *Kijoviensium Antistiti.*

Ille ego, qui quondam Masoviæ in arce locatus,
  Aptabam numeris carmina læta suis.
Viſtuleum mihi littus erat pro monte bicolli,
  Caſtaliique loco Viſtula fontis erat:
Quique coronatum laurô sacrâque tiarâ
  Tollis in aſtra caput, tu mihi Phœbus eras.
Namque tuo vultu noſtram ſtimulante Camœnam
  Tractabam facili Delia plectra manu.
At modò Rufsiacas exul delatus in oras,
  Me Scythicis vitam degere credo plagis.

Versor in afflictis tam duro sidere terris,
Ut mihi ſit votum vivere, non canere.
Quacunque aspicio, nivibus candentibus Hæmum,
Aut canæ Rhodopes cerno gelata juga.
Fruſtra Parnaſſum viridem baccasque requiro:
Mœret detonſis laurea silva comis.
Non mihi Pierius subſternit terga caballus:
Currum, quô vehimur, Parrhaſis ursa trahit.
Carmina scribendi nullus calor incidit unquam:
Nempe sub hac Arcto quis calor eſſe queat?
Si quando volui digitis impellere buxum,
Frigoribus sensi diriguiſſe manum.
Mens mihi sæpe fuit sacras accedere lymphas,
Caſtalioque meam fonte levare ſitim:
Aſt velut injecto ſteterant vaga flumina freno,
Sic durata gelu Caſtalis hæſit aqua.
O quoties precibus Musas ad metra vocavi!
Sed minimè Muſis convenit iſte locus.
Illæ florigeris præcingere tempora sertis
Gaudent & roseis ire per arva viis;
Hìc, ubi sum, gelidis albescunt prata pruinis,
Ipsa nec hìc sedem primula veris habet.
Quin aries, placidi qui ſignat tempora veris,
Hanc rigidus niveo vellere veſtit humum;
Quique alibi terras aperit peramœnus Aprilis,
Hìc duro claudit carcere triſte solum.
Omnia torpescunt, frigescunt omnia: solus
Erga te noſter frigora nescit amor.

E L E G I A

Illmo Excellentissimo Domino Andreæ Comiti Zamoyski *supremo Regni Cancellario nuper creato.*

Magnorum soboles Procerum Vir magne Zamoyski
Viribus eloquii conſilioque potens:
Quis valeat numero adſtrictis expromere verbis,
Gloria quanta tua eſt Familiæque tuæ.

Quacunque aspicio, seges est amplissima laudum,
Quêis aptet citharam nulla Camœna parem.
Vis ut præclaros titulos trabeasque retexam?
Hanc stirpem summus quisque decorat honor.
Prælia Mavortis recinam? celeberrima bellis
Ex voto gestis stant monumenta Ducum.
Sive vices Patriæ recolam variasque procellas,
Horum consiliis Patria fulta stetit.
Seu memorem Lechis sociatas fœdere Musas,
Hæc fuerat Musis semper amica Domus:
Si pietas, si pura fides, rectoque cohærens
Mens sunt propitii munera cara Dei:
Si laus Justitiæ, publicæ si cura salutis
Est in præcipuis connumeranda bonis:
Si populi precibus facilis clementia flecti,
Et data dextra inopi Nomina magna decet:
Hæc tua sunt, Proavûm hæc sunt ornamenta tuorum
Digna Lucullæo marmore, digna cedro.
Quid moror & longo duco mea carmina tractu?
Rem brevibus metris expediisse juvat.
Pallas, Honor, Virtus, Mavors, Astræa, Camœnæ,
Et Consus gaudent hac residere Domo.
Nec Regnum geminos Reges, geminumque nec æther
Fert solem: & Domus hæc tot capit una Deos?

E L E G I A.

Celsissimi Principis Andreæ Młodziejowski *Posnaniensium & Varsaviensium Antistitis, supremi in Regno Poloniæ Cancellarii celebratur modestia, quâ Principum titulum suæ Familiæ oblatum recusavit.*

Emeritos redimire Viros assveta Ducalis
Młodziejovianas Mitra stat ante fores,
Et rogat admitti supplex, pulsuque frequenti,
Ut tandem pateant, ostia clausa ferit.
Intereà prodit pudibunda Modestia vultu,
Atque humiles surdâ præterit aure preces.

Supplicat illa tamen: sed denuò passa repulsam
  Non valet optato tecta subire gradu.
Tum voces gemitu rumpens, ad templa Deorum
  Talia dat rapidis verba ferenda Notis:
Siccine Mitra Deûm munus, præclara beatæ
  Virtutis merces spreta jacebit humi?
Non me rejiciunt Regum de stirpe nepotes:
  Ad multos venio, quàm diadema, prior.
Si mihi dat primas, nec temnit justa petentem
  Edita regali sangvine progenies:
Quam signator honos & sacra tiara decorant,
  Cur mihi fas non est hanc coluisse domum?
Solane despiciar? cunctis domus ista patebit
  Muneribus Regni, cur mihi non pateat?
Sic ea dum fatur, panduntur limina cæli,
  Sidereâque potens defluit arce Themis,
Atque refert: o vitta Ducum, si clausa resistunt
  Interiora domûs, culmina summa tene,
Præsuleum præcinge caput: dum fidis in isto
  Vertice, supremum culmen honoris habes.

ELEGIA

Ad Perillustres ac Rndos Dominos Adamum Wąsowicz, & Joannem Janocki *Canonicos Kijovienses.*

Vos ego, sacrati clarissima lumina Cœtûs,
  Vos ego, Præsulei maxima fulcra throni,
Vos ego convenio, Illustres Adame, Joannes,
  Illustres meritis, Nomina cara, Viri!
Nomina cara Deo, Josepho Nomina cara,
  Cara mihi, & Sociis Nomina cara meis:
Vos ego convenio: verùm non carmine compto,
  Nec tali, vester quale reposcit honor,
Qualeve vestra in me summè propensa voluntas
  Et meus erga vos quale requirit amor.
Parcite carminibus: cupiunt inculta videri,
  Ut mage cum luctu congruat iste color.

Non Aganippeis mea Musa eſt lota fluentis,
Quos oculi fundunt, imbribus illa madet;
Illa nec aligero portatur celsa caballo,
It pedes, & feſſos vix trahit ægra pedes;
Nec miniô vultum, aut crinem ceromate picta,
Pallida sed sparsas it lacerata comas;
Nec digitis chordas, sed palmis pectora pulsat,
Pectora luctificos reddere docta sonos.
Scilicet ut gelidas Josephus abivit ad oras,
Sunt ſimul Aonio gaudia rapta choro.
Caſtalii plorant latices, montisque bicornis
Antra sonant tetrico carmine: Phœbus abeſt.
Phœbus abeſt: queritur longo Kijovia tractu;
Phœbus abeſt: mœrens Bibliotheca gemit:
Et vos, qui trahitis veſtram hoc de ſidere lucem,
Hæc eadem canitis triſtia: Phœbus abeſt.
Phœbus abeſt: plangit tenebris luctuque sepulta,
Quæ noſtri quondam Regia Solis erat:
Gensque Zalusciadûm magno viduata Parente
Verberat his elegis aëra: Phœbus abeſt:
Et Socii & Cives, & plurima turba Clientes
Squalida perpetuis ora rigamus aquis:
Qui tamen ablatum poſſit revocare serenum,
Et pluvias oculis tergere, Phœbus abeſt.
O Superi! tandem lacrymis mitescite noſtris,
Ut liceat lætum dicere: Phœbus adeſt.

Epigramma.

Magnopere addictus, quô non addictior alter,
Iſta Drohicino metra ferenda dedit
Mense, cui antiquum donavit Janua nomen,
Ter quinam lucem pone sequente die;
Unum, septenum, sextum, numerumque novenum
Scribite, quo charta hæc mittitur, annus erit.

Distichon in lituram.

Sicubi spectetur cultello hìc pagina rasa,
Illic à lacrymis facta litura meis.

ELEGIA

Rmo Patri Martino Załuski *Soc: JESU, abdicatione Infularum Principatuumque Clarissimo.*

Tené ego Præsuleâ cinctum Martine tiarâ
  Propitio vidi thura litare Deo?
Tené Ducem nuper terris dare jura Selunis,
  Et trabeâ geminis Fratribus esse parem?
Nunc tibi virtutem præter moresquè modestos
  Nil superest. Omnis sub pede pompa jacet.
Pro violis nigræ circumdant brachia vestes,
  Divitiæ liber est, Regia parva domus.
Luderis, ambitos aliis qui temnis honores,
  An mundus speciem ludificantis habet?
Sed tua, magne Deus, nequeunt oracula falli,
  In caput illusor luditur ergo suum.
Est aliquid, fateor, claro de sanguine nasci,
  Porticibusque altas incoluisse domos;
Est aliquid, Regum summos meruisse favores,
  Est aliquid, tinctâ murice veste tegi.
Sed tamen, & Dominûm laqueata per atria ferri,
  Sed tamen & Procerum dicier esse satum,
Sed tamen & primas post sceptra tenere Curules,
  Et magnis charum Regibus esse, nihil.
Est nihil auratis ferri penetralibus, unde
  Nescis in cæcam quæ trahet hora specum;
Est nihil, esse satum Ducibus, si rusticus unâ
  Nascitur, atque pari cum Duce sorte cadit;
Est nihil, Assyriâ splendescere veste superbum,
  Si nimio populi parta labore venit;
Est nihil & Regum vultus spectare benignos,
  Si nunquam invidiâ nec caret aulá dolô.
Ut tamen mortales capiant nihil istud inane,
  Quanta opus est illis, quamque dolenda pati!
Candida lux estas, somnos sibi denegat umbra,
  Perpetuâ cruciant spesque metusque vice.
Tecta fremunt circum volucres examine curæ,
  Stat vigil ante suas livida lingua fores.
Ut placeant uni, centum læsisse necesse est,
  Nec tamen, ut se quis fors amet, unus erit.

Quid memorem duros terrâ, pelagôque labores,
Quos numero, & longo fine carere puto.
O! nimium felix, quam provida Numinis alti
Eripuit tantis fluctibus aura ratem!
Jam tua tranquillo sospes Martine carina
Littore, festivo carmine psallit Io.
Dumque alias Boreas latebrosa in saxa retorquet,
Nimbifer aut mediis obruit Auster aquis,
Tu fatuas rides, quæ te risêre, phaselos,
Et malè dum pereunt, stat tibi certa salus.

E L E G I A

Ad Illmum Excellentissimum ac Rmum Dnum Angelum Durini *Nuntium Apostolicum in Regno Poloniæ, cum Załuscianam villam inviseret.*

Ergo volutandis lubet impallescere libris,
Et studiis solidos continuare dies?
Abditus arcana semperne moraberis umbrâ?
An tibi perpetuus mœnia carcer erunt?
Cum villa permuta Urbem, Musisque relictis,
Naiadum intersis Oreadumque choris.
Expedit, ut longo ponatur meta labori,
Vel brevis assiduo parta labore quies.
Ipse etiam citharam non semper pulsat Apollo,
Sæpe tenens arcum frondea tesqua subit.
Sic agis: atque tuo nihilum decedit honori,
Dum petis augusto vilia rura pede.
Nam seu nota colas doctis penetralia Musis,
Sive per incultos exspatieris agros;
Siveque consideas Parnassi culmine, sive
Angele, declivem proteris hospes humum:
Seu nemus Aonium, pinetave nostra revisas,
Crede, tenes primum primus ubique locum.
Laurigeras inter celebraris Apollo Camœnas,
Inter silvestres Pan eris Oreades.

ELEGIA.

IGNATIUS LOJOLA *exauctoratæ cohortis Dux*, *Wenceslao* RZEWUSKI *exercituum Poloniæ Duci, ex Campis Elysiis.*

Hinc, ubi ſtelliferos Ignatius incolo campos,
Wenceslae, tibi litera noſtra datur.
Audio, quantumvis toto diſtemus Olympo,
Et nimis abjuncto ſimus uterque loco:
Nempe paludosa terræ tu valle moraris,
Me fovet aſtrigero nobilis æthra ſinu;
Audio, quantumvis densatæ nubibus auræ
Opponant elegis mœnia dura tuis,
Ne, quos tu threnos triſti modularis avena,
Hos ego propenſis auribus excipiam;
Quin licet indomito cæli ſint ære refusi
Ac tentent voci præpediiſſe viam:
Attamen æratos penetrant tua carmina cælos,
Ad Superosque ſibi Musa repandit iter:
Divûm templa subit dejecto squalida vultu,
Macras uda genas, & lacerata comas;
Audio luctisonos gemitus, citharæque querelas,
Audio flebilibus verba remixta modis.
Rachelem infantes cæsos plorare putaſſem,
Ni mihi conſtaret, quòd tua Musa fleat.
Natos illa meos dolet, extinctique favillas
Ordinis ex oculis rore cadente rigat.
Non secùs ac Niobe natorum saucia leto
In misero crudum pectore vulnus alit,
Stansque super tumulos carorum cæde tumentes,
Queìs non quit vitam reddere, dat lacrymas;
Nec contenta suum lacrymis explere dolorem
Cum lacrymis tales fundit ab ore sonos:
Siccine Relligio Latiæ devota tiaræ
Fulmine de Latiis montibus icta perit?
Illa per immanes scopulos, per inhospita saxa,
Et solùm Lybicis pervia luſtra feris,
Per mare, per syrtes, per mille pericula mortis
Quærebat populos dona sacranda DEO.
Ivit ad Æthiopes, imos penetravit ad Indos,
Erudiit Mauros, Japonas atque Sinas:

Indomitas gentes Paraquaros, atque Molucos
Divino juſſit subdere colla jugo.
Non timuit chalybem ſtricto mucrone minacem,
Non Japonum foveas flammivomasque pyras,
Nonque venenatâ saturatas peſte sagittas,
Non virgas, uncos, vincula, flagra, cruces.
O quoties proprio perfudit sangvine terras;
Amplior ut tali surgeret imbre seges.
Faverunt Superi: saxis addicta colendis
Gens didicit vivo thura cremare Deo:
Sacrilegas sacro faſtu peſſumdedit aras
Temnens fictitios impia monſtra deos.
O Socii! sunt hæc veſtri monumenta laboris,
Quæ Phidias gemmis, aut adamante notet.
Hic tamen à magnis (proh! quæ conversio rerum?
Talia dum reputo, mens ratioque fugit)
Hic tamen à magnis Ordo clariſſimus actis
Occidit, & luctu complet utrumque Polum.
Quodſi nonnullos minimè miseratio tangit,
Ut dare suppetias, auxiliumque velint;
Vos saltem Superi, quibus eſt clementia cordi,
A miseris Sociis hoc removete malum.
Sic tua Musa gemit, leſſosque per æthera spargens,
Queſtibus immodicis templa superna ferit.
Quid tibi jam referam, præclare Patrone meorum?
Nosco, quòd eſt hujus causa doloris amor.
Eſt ab amore dolor, ſimul hic se carmine prodit,
Sic & amando doles, atque dolendo canis.
Carmen, amorque, dolor, tua sunt mihi cara tributa,
Verùm tu præ illis carior ipse mihi:
Te, sobolemque tuam complector amore paterno,
Et pariter natis tu Pater eſto meis.

E L E G I A

Ad Illmum Dominum Antonium Kossakowski *Secretarium Regium.*

Arctois septena rotis jam bruma cucurrit,
Ut spectare mihi non licet Antonium:

Antonjum, qui à falce trahit cognomen, & atro
Alite distingvit stemmata clara Domûs:
Antonium, cui Rex latitantia corde sub imo
Non dedignatur credere consilia:
Antonium, quem jam longo mihi tempore notum
Sincerus stabili fœdere junxit amor.
Hujus cum nequeam vultus, atque ora tueri,
Impigra perge meas littera obire vices.
Perge per offusas undas, per vasta Nemeni
Flumina, per Narvam, perque fluenta Bugi.
Perge per objectos montes, per dura viarum,
Per saxorum obices, per salebrosa loca;
Nec priùs abrumpas cursum, quàm intraveris oram,
Quæ pedibus rapidis est adeunda tibi:
Estque Urbs antiquis Varsovia dicta Polonis,
Et Regum, & Procerum mœnibus ampla Domus.
Hanc prope delapsus Craci de montibus altis
Flavus arenosas Vistula volvit aquas.
Frena tenent fluvium, quò clausus limite certo
Littora mansvetus tuta jacere sinat:
Ne, si subruerit solidos fundamina muros,
In præceps Urbis tecta domosque trahat.
Mons junctus fluvio, celsaque crepidine montis
Arx sita turritum tollit ad astra caput.
Hìc Rex Augustus solio subnixus eburno
Sollicitâ populi commoda mente rotat.
Huc tibi per stadia est cursus millena tenendus:
Hìc, ad quem res est, quære Kosakovium.
Neve sit errandi tibi copia in agmine multo,
Indiciis certis noscere disce Virum.
Si tibi quando datum, Divûm simulacra tueri,
Japonico par est os humerosque Deo.
Cælicolûm donô multa pingvedine dives
Mole sub ingenti corporis ossa tegit.
Provehitur curru? stridet sub pondere currus:
Navigat? à grandi pondere cymba gemit:
Ponte viam carpit? tabulæque & tigna tremiscunt,
Subsiduntque trabes, firmaque fulcra labant.
Olli grande caput, frons ardua, nasus aduncus,
Qualem fulmineus portitor ales habet:
Non is, qui lepores captat, sed cujus ab ungve
Dardanius Juvenis svave pependit onus.

Non mirere tamen ſtructuram corporis amplam,
Optavit magnam mens ſibi magna domum.
Quò vero hæc ædes conſiſtat firmior: illam
Suſtentant ſolidi bina columna pedes.
Cæsariem ſi vis? niſi fallor, certat olori:
Hæc tamen adscito crine sepulta latet.
Aſt ut arenoso perrarum germen in agro,
Sic nativa illi vertice rara coma.
Non tamen hinc capiti radioso infamia surgit,
Quinimò accedit gloria, crescit honos:
Nam queis sub terris nascuntur fulva metalla,
Hisce super terris gramina nulla virent.
Jam quæ diſtineant tractanda negotia mentem
Antonii, ſi avido pectore scire cupis?
Is vel ab Auguſto quæ jam mandata recepit,
Perficit aſſiduus, vel nova juſſa capit.
Fors etiam solus tacita conclavis in umbra,
Quì consummandum eſt, corde revolvit opus.
Forsve characteres Roſſos, quam noverat artem,
Depingit magnæ dexteritate manûs.
Quidquid agat demum, ſis importuna, caveto,
Tempora prospéctans commodiora, tace.
Id volo te monitam, si longo parta labore
Tædia lætifico diluat ille mero:
Tunc ipſi charites omnes aſſiſtere certant,
Atque suas quævis tradere gaudet opes.
Una rubescenti perfundit murice vultum,
Et facit, ut regnet multus in ore lepos;
Altera luce novà vaſtæ duo ſidera frontis
Imbuit, ut radio splendidiore micent;
Tertia componit pulchro moderamine geſtus,
Ut pars accito nulla decore vacet.
Hac ſi temperie fuerit, genioque sereno:
Alloquio facilem se dabit ille tibi.
Tunc etenim Zephyris placatâ mitior aurâ,
Tunc etiam Hyblæis svavior ille favis.
Tunc accede Virum propiùs, verbisque saluta
Prona meis, nec non hæc mea scripta refer:
Tempora mutantur, tempus quoque mutat amicos,
Ut nuper vegetas decoquit hora rosas.
Rarus nunc Pylades, qui ſit ſic ſidus Oreſti,
Fœdera ut extremum servet ad usque rogum.

Sunt plerique pares apibus, quæ floribus hærent,
In rem quando suam mellea dona legunt:
•Aſt ubi divitias hortorum Sirius hauſit,
Exsuccum florem nulla reviſit apis.
Non hoc tu genio polles, non indole tali, ut
Vanus amicitias ad tua lucra trahas.
Si verum cecinit celebratus Naso Pöëta:
Vulgus amicitias utilitate probat:
Sentiat hæc vulgus; tu præſtans mente sagaci
Non ea, quæ vulgus, pectore sensa geris.
Non ego te donis vinxi: tua prona voluntas
Fecerat, ut nobis sanctus ineſſet amor.
Nec puto parte tua firmum potuiſſe vetuſtæ
Vinculum amicitiæ rumpere noſtra mala.
Æneam haud fugiunt socii, licèt horrida terris
Illum circumſtent bella, perîcla mari.
Euryalo Nisus non eſſe superſtes amico,
Sed ſimul ad Manes gaudet abire comes.
Sive atram, albentemve diem fortuna tuliſſet,
Non liquit fidus Thesea Pirithous.
Conſtantem servare fidem mihi pactus es olim:
Quæ fuerat quondam, mens eademne tibi?
Me, ingenuè fateor, plures tacuiſſe per annos:
Quid mirum, tacitus ſi miser ora tenet?
Corde dolor reſidens mentem, linguamque ligavit,
Ut fuerit, quid agat, quidve loquatur, inops.
Tunc mihi pro Muſis aderant trias atra Sorores,
Quæ mihi, quæ Sociis ſtamina dura trahunt.
Pro lauro mihi taxus erat, pro fonte perennes
Caſtalio lachrymæ, pro cithara gemitus.
Si natura mihi tygridum fera corda dediſſet,
Humano sensu tangeret illa dolor.
Si mihi ducta forent de crudo viscera saxo,
Nil dubita, vehemens scinderet illa dolor.
Relligio Mater probrosâ morte perempta eſt,
Vivere quæ docuit me, Sociosque meos.
Hæc mihi virtutes teneris insculpſit ab annis,
Expoliitque annos Palladis arte rudes.
O Mater dilecta mihi, (ſic sæpe gemebam)
Collubet ante diem te moriente mori.
Te quoque, care Pater, poſt longas carceris umbras,
Poſt rigidas hyemes jam cinis ater habet.

Cur orbus vivo? cur aére vescor amaro?
Cur Nato socium non licet eſſe Patris?
Et vos disperſi gemitis pia turba Sodales
Omnibus exuti: ſtemmate, veſte, bonis.
Non ipsum donum, quô non eſt carius ullum,
Comitiô oppreſſis fama relicta Viris.
Quid mihi, quid vobis supereſt, niſi funus acerbum, aut
Pars miseræ vitæ funere acerba magis?
Magna quidem memoro, tamen hæc sunt damna minora:
Majus, quòd multi præda futura ſtygi.
Hi, quos Relligio fovit super aſtra locandos,
Cælorumne omnes littora tuta petent?
Heu! quot commiſſos pelago, ventisque caducis
In fauces Erebi fracta carina vehet.
Hunc acri ſtudio quæſitos inter honores
In brevia, & syrtes aura tumoris aget.
Illum, dum cumulos auri per fasque nefasque
Aggerat, in barathro prægrave merget onus.
Libertas alios, & agendi cæca libido
In nigra Tartarei carceris antra trahet.
O sors infelix! de recto tramite cæli
Depulsos triſtem Ditis inire viam.
Hæc ego lugebam mecum taciturnus in umbra
Imbre per infauſtas sæpe ruente genas.
Jam dic, Antoni, tibi ſit quis pectore sensus?
An non juſta mei causa doloris erat?
Talibus afflicto quid jam reſtabat agendum?
Unicus iſte fuit flere, tacere, labor.
At poſtquàm diuturno me ex mœrore recepi,
Imminuitque malum temporis ipsa mora:
Proloquor, has paucas in voces ora resolvens:
Sis mihi tu Pollux, sum tibi Caſtor ego.

E L E G I A

MICHAEL CAROLO, *Frater Fratri, in Polonia mansurus Romam abeunti valedicit.*

Ergò iterum Latias ibis peregrinus in oras,
Et patriam linques non rediturus humum?

Ergo nec antiqui fidiſſima turba Sodales,
    Nec lachrymæ Fratris te retinere queant?
Aspicis, ut misero miscentur gaudia luctu:
    Attulit adventus gaudia, luctum abitus.
Non secùs, ac Phœbo Hesperias labente sub undas,
    Omnia nox tenebris contegit atra suis:
Sic tua dum noſtris obtutibus eripis ora,
    Cuncta tenebrescunt squallidiore ſitu.
Te socii Socium, Mecœnatemque clientes,
    Sed Fratrem inprimis Frater abire dolet.
Ac ſi fortè roges, quænam ſit causa doloris?
    Unica fraterni causa doloris amor.
Quæ magè diligimus, magis illa amiſſa dolemus,
    Et venit ex magno magnus amore dolor.
Tene ego non doleam mihi Fratrem Frater ademptum,
    Carior in vita quo mihi nullus erat?
Non Nysus Euryalum tanto complexus amore,
    Non Damon Pythiam, Thesea Pirithous:
Nec pariter fuerat Patroclus dilectus Achilli,
    Ledæusque minùs Caſtora Frater amat.
Dividimur tandem: calidùm tu pergis ad Auſtrum,
    Me tenet Arctoo dura sub axe plaga.
Siccine deſtituor charis, orbusque relinquor,
    Præsentesque mihi non licet eſſe meos?
Occubuêre ambo senio poscente Parentes,
    Bis geminos Fratres abſtulit atra dies.
Simon hauſtus aquis, rapidus qua parte Muchawiec
    Breſtenſis Bugi flumina vaſta subit.
Occidit & Lucas: Andream fata tulerunt,
    Fata per adversas sæpe rotata vices.
Onuphrius vix dum lucem conspexerat infans,
    In tumulum cunas intulit ille suas.
Hunc ego non vidi, sed quòd dum vivere cæpit,
    Finierit vitam, te referente scio.
Illos fraterno dilexi more, meusque
    In cognata fuit nomina sparsus amor;
Quique minor fuerat Fratres divisus in omnes,
    In te collectus maximus ille fuit.
Eſt minor in plures rivos dispersus Araxes,
    Quàm ſi conjunctis intumuiſſet aquis;
Flammaque languescit latè disjecta per auras,
    Ni divisa foret, vinceret illa magis.

Sic radii à Phœbo miſſi vehementius urunt,
Quos unus vitreo colligit orbe focus:
Sic meus erga te, dum non per multa vagatur,
Creverat unitis viribus auctus amor.
Nam poſtquàm vivis exceſſit turba meorum,
Ad te transtuleram, quidquid amoris erat.
Tu solus Patrisque locum Matrisque tenebas,
Tu mihi pro multis Fratribus unus eras.
Sive per ambiguas nutarent pectora curas,
Conſilii fueras portus & ara mihi;
Seu pro defenso peterer Cicerone procellis,
Tu rebus fueras anchora certa meis;
Seu quæcunque modis premerent me fata ſiniſtris,
Tu fueras cunctis una medela malis.
Retzius intereà, qui tum moderatus habenas
Genti Ignatiadûm jura paterna dabat,
Te vocat & patriis subitò discedere terris
Mandat & Ausoniam præcipitare viam.
Tendis in Italiam Patris præcepta secutus,
Atque tuis dicis verba suprema: vale.
Quis tum sensus erat Fratri?, quis pectoris ardor?
Quàm nova, quàm rerum triſtis imago fuit?
Cor dolor obsedit, sua mœſtæ nubila fronti
Induit, & miseras proluit imbre genas.
Jamque supra denos Titan confecerat orbes,
Cum te Roma suis mœnibus usque tenet.
Interea nos mœror habet, gemituque fatigat,
Perque suas pergit dirior eſſe moras.
O quoties avida captavimus aure susurros
Clarisonæ famæ: Carolus anne redit?
O quoties mœſtas rapidis commiſimus Auſtris
Cum lachrymis voces: Carole care redi.
O quoties madidis oculis respeximus illud,
Quod Latiô in Lechiæ climata ducit iter.
Sic, ubi turritis egreſſa columba cavernis
Ad sobolem tardat lenta redire suam:
Prospectant nidô, caramque deeſſe parentem
Luctisonâ teneræ voce queruntur aves;
Haud aliter nos turba tuo triſtata receſſu
Vidimus atratos luctibus ire dies.
Attamen his miseris aderant solatia rebus,
Ut conjuncta solet sentibus eſſe rosa.

Scilicet ad Lechicas arces te poſſe reverti,
Spes hæc lætitiæ pars mihi magna fuit;
Ut, licèt incubuit nox tetris longa tenebris,
Cimmerii gaudent poſſe redire diem;
Et quem vexat hyems, is spe se recreat iſta:
Poſt hyemem duram tempora veris erunt;
Nautaque jactatus pelagô, licèt ille remotum
Prospiciat portum, suave celeusma canit;
Et quicunque dolet fatô cruciatus acerbô,
Inde ſibi sumit gaudia: finis erit.
Sic tuus has noſtras reditus speratus in oras
Magna remittendi causa doloris erat.
Nempe movens primùm Romam rediturus abibas,
At modò (me miserum!) non rediturus abis.
Quodſi fata velint, spatii poſt tempora longi,
Ad patrios vegetum te remeare lares:
Jam non invenies Fratrem, sed inutile Fratris
Corpus, & in cineres oſsa redacta suos.
Invenies mortis spolium, triſtesque favillas
Ex oculis lapsâ sæpe rigabis aquâ,
Atque trahens imo suspiria pectore dices:
Hic, cujus specto funera, Frater erat,
Frater erat minimus, poſtremus venit in Orbem,
Et subiit tumulum me seniore prior;
Quem lactentem olim vidi cunisque jacentem,
Is modò sub terra vermibus esca jacet.
Nos quoque fata manent, pariter nos ibimus illâ,
Quâ reliqui Fratres anteiere viâ.
Non Libitina bibit Lethen, oblivia nescit,
Observatque ſtatos una cuique dies.
Seriùs, aut citiùs (lex eſt æterna Tonantis)
Portabit noſtrum cymba Charontis onus.
Hæc dices, requiemque mihi lucemque precatus
Libabis vivo farra sacrata Deo.
Id rogo. Nil demum superat, quàm dicere Fratri
Nunquam visendo triſtia verba: Vale.
Neve morer multis: ſiquidem Laurentius inſtat,
Cujus mandatum præteriiſſe nefas,
Vade alacer sospesque altæ pete mœnia Romæ,
Obſideantque tuas nulla pericla vias,
Vade per Imperium, per magni regna Josephi;
Koſtka tibi socius Staneſilaus erit.

Vade per inftabiles amnes nil territus undâ:
Componet fluctus ftella Maria maris.
Vade per aërias Alpes scopulosque nivales:
Securum Raphäel dux tibi pandet iter.
Vade, nec hibernis Boreæ ftridoribus alge,
Nec langue ignivomo sole, nec imbre made.
Vade: ftat impatiens sonipes, frenosque remordens
Ore rotat spumas, & pede pulsat humum.
Intereà curtâ succinctus vefte Sahalman
Cursat, & impigrum sæpius urget iter.
Vade igitur, non te remoror, fic Numina poscunt,
Vade, sed ex animo non abiture meo.

ODE

Ad Illmum Excellentissimum ac Rmum Dnum Antonium Wołłowicz *Episcopum Luceoriensem, dum Pinscensem oram, suæ Diæceseos partem inviseret.*

O Quæ sidereas super
Eluctata domos candida Veritas
Divûm Templa perambulas,
Huc ferrugineum lapsa per æthera
Euris ocyor advola.
Tu doctâ tacitam tange chelym manu,
Tu suavem ad numeros sonum
Prudens veridicis pectinibûs cie.
Vatum rideo somnia
Mendaci cerebrò prodita Numina,
Quæ vulgus ftolidum colit
Aris, & refugîs thuris odoribûs.
Musarum rogitent opem,
Si quos fortè juvat ludere fabulas:
Noftris, optime Præsulum,
Certam carminibus materiam dabis.
Fuci abscedite: gloria
Pingi fictitiis vera coloribûs
Vertit ludibrio fibi:
Non adventitiam cinnabarim petit

Dives lumine proprio.
Nec ſic in latebras clara retruditur
Virtus, quin radios vibret
Obscuris etiam tecta receſſibûs;
Cêu Sol nube reconditus
Profert è tenebris auricomum caput:
Et lucem lapis Indicus
Depromit tremulam, syrmate quàmlibet
Nigro nox tegat omnia:
Obryzumque rudi pulvere promicat.
Etſi nube modeſtiæ
Ornamenta tui plurima pectoris
Et pulchras animi faces,
Ac virtutis opes niteris abdere:
Illæ se nihilominus
Produnt conspicuo lumine gloriæ.
Sunt, quos maxima dignitas
Reddit percelebres, sed tumidos facit;
Tu alti culminis immemor
Præcinctum cydari Præsuleâ caput
Submiſſum populo geris.
Sunt, quos non humili ſtemmate splendidos
Auri discruciat fames;
Tu, quas divitias decolor Æthiops
Duris montibus eruit,
Aût Ganges rutilô devehit alveô,
Aût Erythra rubentibûs
Claudit visceribûs, pro nihilo putas:
Solas quærere conscius
Templis sepoſitas sidereis opes.
Harum te cruciat ſitis:
Hæc ut poſſideas dona perennibus
Sæclis non pereuntia,
Noctes, atque dies tollis in æthera
Cæli percupidas manus.
Illuc sollicitum te vehemens rapit
Ardor pectoris ignei.
Illuc quô citiùs mens tua pervolet,
Pergis demere sarcinas:
Gazis nempe tuis, pondere ne gravent,
Vulgi pauperiem beas:
Auratoque tuum vellere contegis

Paſtor munificus gregem.
Quòdſi de latebris tartareæ specûs
Prorepant mala gens lupi,
Dentesque exacuant in fera prælia;
Sumis tela manu sacrâ,
Infeſtamque luem præcipitans ſtygi,
Arces certa pericula.
Stat defensa tuo præſidiò Fides,
Aras Relligio colit,
Exultat probitas: candor, & æquitas,
Et pax nescia fraudium,
Et morum decor, & blanda severitas
Legum, Præsule te vigent.
O vos! Poleſiæ qui colitis plagas,
Qui vel ſtagna Strumenii,
Vel pigrum bibitis Prypecii vadum,
Feſtis àëra vocibûs
Permiscete alacres, omne sonet nemus,
Ripæ congeminent sonos:
Paſtor vive Gregi, vive Senatui,
Caræ vive Poloniæ:
Illuſtrique tuæ vive Propagini,
Omnes dum tenuis culex
Lymphas ebiberit Pinsciadum vadis.

O D E

Ad Illmum Excellentissimum Dnum Venceslaum RZEWUSKI, *Magnum Polonici Exercitûs Ducem.*

Nuper cruento vulnere saucius
Inerme pectus, poſtea quàm diem
Lojolcæ Mater Juventæ
Hesperii Patris icta nutu

Vixit supremum; sangvine pallidos
Linquente vultus, spiritu & omnibus
Rigente venis, mentis expers
Exanimes resupinus artus

Tellure fudi: cum prope perditum
Sublimis alto Lojolis æthere
Delapsa, subridensque amicis
Aggreditur recreare verbis.

Sic visa fari: Desine tristium
Tandem dolorum, nec mihi cælites
Inter beatos, nec sodales
Terrigenas, licet inde cossi,

Illustris unquam gloria deerit.
Vides, ut alto vertice splendeat
Insigne sertum? quam decorâ
Luce sacros toga vestit artus?

Atqui nec orbis vester Olympicis
Oris receptæ Lojolidis pio
Inauspicatas usque omittit
Exequias decorare luctu.

Audin? Polona gente Rzewuscius
Summus Lechei militis arbiter,
Sagoque spectandus, togâque,
Pierii fidicen senatus,

Quantis peremptam laudibus extulit?
Quin tu insolentes excute nænias,
Resume vires, & faventi
Emeritum meditare carmen.

Hæc Mater. At mi spiritus & vigor
Redire primus, jamque solutior
Chelyn Venusinam ciere
Pierio calet igne sangvis.

Adest & omnis Pieridum chorus,
Adest Apollo: præcinitur prius
Seu tibiâ malles eburnâ
Seu calamis fidibusque junctis.

Mox ut canentûm perpetuum undique
Plaudente turba concrepuit melos;
Me Thespiæ secum sorores
Tale jubent cecinisse carmen.

Nil profuturas Lojolidæ inclyti,
Sordesque, & udas tergite lacrymas,

Periſſe vix dicas Parentem
Tot lacrymis Procerum sepultam.

Præſtat supinas ad Superos manus
Cum duplicatis tollere vocibus;
Albosque Venceslao precari
Et tetricâ ſine nube soles.

Vivat refectis viribus integer,
Seri æmulatus tempora Neſtoris,
Grandemque humandus Pronepotum
Nubilium videat catervam.

Æquent avitum juſtitiæ decus,
Æquent superbis Poſteri honoribus
Pulcherrimum nomen Parentum,
Prolibus ingenuis & ipſi

Quondam futuri conspicui Patres.
Hæc ter retractans occinuit chorus,
Applauſit æther, atque pæan
Lætus io Lo-i-ola dixit.

O D E

Ad Illmum Præsulem Josephum Załuski, dum suburbanum Patrum Soc. J. hortum inviseret.

Picta cohors volucres, patriæ viridantis alumni,
Aerei solatia regni,
Quid mutare juvat sedes, & remige penna
Metiri intervalla viarum,
Quærereque ardentes peregrino sidere terras?
Impigros prohibete volatus.
Cernitis, ut verni nostrà regione renidet
Temperies placidissima cæli.
Ver aries* signat, Josephi lilia vernant,
Et violæ per brachia serpunt,
Doctrinæque comes Laurus numerosa virescit
Præsuleis innexa tiaris.
Huc alata phalanx rapidis allabere pennis,

* *Alluditur ad stemma Załuscianum.*

Huc o silvestres Citharœdi.
Hìc ubi vicini platanus vetus accola montis
Frondosas latè explicat umbras,
Vistuleumque amnem sublimis despicit ornus
Et salices tiliæque comantes
Affusum terris herbarum vulgus opacant:
Hìc patulis considite ramis,
Hìc dulces iterate sonos, & carmine festo
Præsuleas depromite laudes.

ODE

Ad eundem Præsulem eâdem occasione.

Adeste veris Gratiæ
Sertis onustæ floreis,
Rosis vias insternite,
Quà Præsul hospes advenit:

Quem Purpurata dignitas
Candorque morum purior,
Et rubicundum & candidum
Ecclesiæ Sponsum notant.

Hic siquid auri colligit,
In pauperum spargit gregem:
Ovesque mansvetus regit
Et Agnus & Pastor simul.

Hunc eloquentem Curia,
Hunc Templa Numinis pium,
Suumque Patrem Patria,
Doctumque proclamant libri.

Nec ille tantùm doctus est,
Sed Doctor audit omnium,
Quos excolit scientiis
E Bibliotheca docens.

Quæcunque gentes Tiberim,
Auroque flaventem Tagum,

Aut Ararem lentum bibunt,
Artes bonas hinc hauriunt.

Huc Rossus armorum potens,
Opumque dives Batavus
Venit, reditque ditior
Scientiarum copiis.

Quæ tandem in orbe natio
Vallata duris montibus,
Æterna quò non permeet
Załusciorum gloria?

Quam magna laus est Nominis,
Tam longa vita Præsulis
Honoribus circumfluens
In mille sæcla floreat.

O vos Sorores tetricæ,
Quæ fila vitæ ducitis,
Ævo perenni stamina
Nostro Josepho tendite.

ODE

Ad Divum Stanislaum Kostka.

Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.

Quid mente versas Kostule,
Dum pulchrior cælo Puer
Tuas in ulnas defluens
Te svave complexu ligat?

Amore dulci saucius
Langues, rubes, & æstuas,
Nec flamma languescit morâ,
Sed flamma flammas parturit.

Ignis medullas permeat,
Castumque cor depascitur,
Ignis ocellis promicans
Genas pudicas obsidet.

Si quid profatur Kostulus,
Ignita verba profluunt:
Si tingit ora lacrymis,
Ardent & ipsæ lacrymæ.

Huc blanduli Favonii
Per prata qui discurritis,
Huc advolate & roscido
Sopite flammas halitu.

Et vos amica floribus
Crystalla pura fontium,
Ardore lassum pectoris
Refrigerate Kostulum.

At nil medetur æstibus:
Est tanta vis incendii,
Quam nec superjectæ nives,
Nec stagna ponti temperent.

Vos oro formosissimi
Alata turba Cælites,
Vestras per alas candidas
Velociores fulmine,

Vos oro, adeste præpetes,
Motisque pennarum flabris
Immite frigus spargite,
Usto medelam pectori.

Citata pennis convolant
Delapsa cælis agmina,
Alisque flammas excitant,
Augentque cœpta incendia.

Jam totus ardet Kostulus,
Nec ullus est flammis modus:
Corpus favillæ traditur,
Flammata mens cælum petit.

In idem argumentum Prosa metro Leonino.

Nullane obsistet vis ardori,
Quo fessus anhelat Kostka mori?

Sic cera liquescit
Sic rosa languescit
Icta solis telo.

O Zephyri mites, advolate,
Auramque roscidam aspirate:
Alarum flabellis
Nubium umbellis
Æstum temperate.

Huc densi imbres, qui novis pratis
Gratissimum frigus apportatis:
Huc vitrei fontes
Cursores insontes
Citi aquas ferte.

O rem mirabilem! Kostka totus,
Ceu flos recenti rore lotus,
Undis immadescit,
Et tamen ardescit
Immortali flamma.

Nec ipsa frigorum bruma dives,
Quantumvis congerat suas nives,
Nec integrum mare
Cœpta temperare
Poterit incendia.

O placidæ flammæ! o ardores
Omni suavitate dulciores!
In meum cor venite,
Et reliquum vitæ
DEO vindicate.

Sat est jam ludis & nugis datum,
Quod superest, cælo sit litatum:
Opto expers moræ
Mori ex amore
Tuo magne DEUS!

ODE

Ad Ludovicum hospitem ineunte Majo.

Jam minas sævi posuere venti,
Jam sub algentis Scythiæ coluros
Grandinis dives, niviumque Mater
Bruma cucurrit.

Phosphoro lapsam reparante lucem,
Roscidis crines moderata sertis
Chloris incedit, viridique terras
Ornat amictu.

Lenis effuso Zephyrus susurrò
Ardui currens per aprica montis
Vulgus herbarum leve temperatis
Confovet alis.

Quos pruinosi pepulêre Cauri,
Fraxino rursus redeunt capilli;
Populus vernat, platanusque nuda
Brachia vestit.

Frondei princeps philomela regni
Solis infestum viridante tecto
Fallit ardorem: tremuloque frangit
Gutture voces.

Sic ubi sacro Lodoice passu
Littavam tangis novus hospes oram
Cuncta juratis tibi visa passim
Plaudere votis.

Floreas sternit tibi terra gemmas,
Ver tibi lentâ famulatur aurâ,
Te choro circum strepero volucrûm
Silva salutat.

Te viatorem speculatus arce
Aureâ Titan, subito serenus
Risit, & comptum meliore crinem
Imbuit auro.

Phœbe formosæ Pater alme lucis!
Perge nimbosos prohibere ventos,
Perge detecto manifestus ore
Visere terras.

Phœbe stellati vaga flamma templi!
Nubila ad nigros rapiantur Indos,
Æthra scintillet, nec aquosa lætas
Deleat horas.

Vosque, qui molli residetis herbâ,
Ludicri multo Zephyri lepore,
Ferte narcissos, calathisque ferte
Lilia plenis.

Hospitis magni pedibus terendum
Pingimus callem, violis, rosisque,
Et thymo dulci, niveoque sparsi
Imbre ligustri.

O D E.

Rebus secundis non fidendum.

Prudens sollicitâ rege
Dextrâ, præcipitis frena superbiæ;
Cum te sors reliquam super
Plebem, non humili vexerit orbitâ,
Et conjungere jusserit
Altis finitimum sideribus caput.
Quæ Cedrus stetit hoc die,
Cras lambet cinerem saucia fulmine.
Ales, quæ modo nubibus
Affinis cecinit, postridie gemet
In textis viminе cratibus.
Sic qui belligerâ concrepuit tubâ
Lætus classica Bajazet,
Cristis in cavea depositis sedet.
Turbo summa secat celer,
Lætis agglomerat se socius dolor.

Exhausto madidos Tago
Crassos uda genis pauperies amat
Æquis passibus insequi.
Quem Crœsum vigilans Cynthia viderat,
Irum Cynthius aspicit.
O fati lubricas instabilis vices!
Consul funere pessimó
Subdit laurigeris colla securibus.
Clarus dux Belisarius
Raptis luminibus cæcus eget duce,
Et supplex obolum petit,
Orbis quem coluit poplite supplici.

ODE

Interdum vel minima Magnis creant periculum.

Sic est collibitum Deo
Ut magnis etiam parva periculum
Passim non modicum creent.
Obluctata Notis prora reflantibus
Postquam Iapyga vicerat,
Adversique minas riserat Africi,
Occursu remoræ stetit.
Vastis exiguus mus elephantibus
Haud raro attulerat necem.
Quæ miscet tumidum sideribus caput
Victrix turbinis esculus,
Sternet prociduis jugera frondibus,
Parvis icta securibus.
Mollis gutta cavat rupem: adamantaque
Frangi verbere Mulcibris,
Et solvi indocilem Lipareis focis
Hirci diffiderat cruor.
Ergo ne nimium, queis animus viget,
Vano fidite robori;
Is plerumque, cui fortia cesserant,

Palmam cessit inertibus.
Imbellis leporum turba fugatium
Exegit patrio solo
Gentem Carpathiam pellere idoneam
Ferratum agmen Enyonis.
En haud à minimis tuta potentia est!

ODE

Ad terræ cœlique Dominam pro impetranda àëris clementia, cum R. P. . . Romam iret.

O Diva, celsum quæ regis æthera,
Præsens vel atris astra vaporibus
Celare, vel pulsum serenum
Auricomo revocare sole;

Creber procellis te metuit Notus,
Te Corus asper, te niger Africus:
Et siqua ventorum caterva
Æoliis fremit in cavernis,

Tuo arbitratu est prompta vel erutis
Mundi citatum cardinibus globum
Sursum volutare ac deorsum:
Vel tacitis residere claustris,

Pigrosque somnos carpere. Præcipis?
Mare excitatum sidera fluctibus
Flagellat ac immani hiatu
Tænarii nigra tecta Ditis

Visenda præbet. Si meliora vis?
Repente vernis stagna Favoniis
Æquata sternuntur, tibique
Morigerâ famulatur undâ

Neptunus audax. Tu quoque grandinum
Pestem sonoram ad Massagetas agis;
Aut si rebelles æqua sanxit
Promeritis tetigisse pœnis

Vindicta terras: imperiô tuô
Concreta acutis unda aquilonibus
Mavortiarum more glandum
Densa ruit segetesque crebro

Prosternit ictu. Terrificos neque
Ciet boatus, nec refugas faces
Inflammat æther fulgetrorum,
Nec trifidos jaculatur ignes,

Cùm lege certa caveris. O Poli
Terræque Præses, quam penes omnium
Rerum poteſtas, te tuorum
Nixa genu precibus fatigat

Cohors Clientum: sidera temperes,
Ut candicantes, *Romipetam* super,
Vultus reflectant, rideantque
Mœſtæ Hyades, pluviusque Orion

Scintillet igni pallidus aureo:
Nec immodeſtis Sirius æſtibus;
Nec ira vesani Leonis,
Nec Procyon furat uſtulatis

Infestus agris: sed Charitum trias
Et svavè spirans turba jocantium
Favoniorum jam sequatur,
Jam præeat, volitetque circum

Arces petentem Romuleas Patrem, et
Auras flabellis mollibus excitans,
Labore defeſsum viarum
Temperie recreet tepenti.

O D E

Ad Genios Tutelares.

Aligeri Juvenes, patriæ stellantis alumni,
Cohors Tonantis aureis armis minax:
Corporis expertes Genii, purissima turba,
Lucidior astris, Cynthio formosior,

Puniceum auroræ vincens fulgoribus ignem,
Cita & volantes solis antevolans rotas,
Prævertensque Notos rapidas & fulminis alas:
Vobis supremus omnium rerum Pater
Nos homines mortale genus massamque caducam
Dedit tuendam. Per vias ergo lubricas
Doportanda sumus jam veſtris sarcina curis:
Ne vel dolosus violet incautos silex,
Vel perimat tacitus visu basiliscus acuto,
Aut aspis atram corpori infundat luem,
Neve leonino infelicia pabula rictu, aut
Tristis draconum dente laniemur cibus.
Eja agite excubiæ dulces, stipetis euntem
Comites fideles, nescia soporis phalanx:
Hic labor, hoc sit opus vestrum, bipatentibus alis
Tegere Viatorem, Polique lachrymas,
Hesperiamque facem Phœbi prohibere calentis,
Tremulisque pennis advocare Favonios.
Eſte duces inter discrimina mille viarum,
Saxa per inhospita & Alpium canas nives,
Per pontes fluviosque vagos, silvasque nigrantes,
Et præcipitium vallium anfractus cavos,
Incolumem vegetumque Patrem aspirantibus astris
Ad præpotentis septiceps Romæ jugum
Ferte citi & casus procul amandate sinistros,
Et scorpionum spicula veneno illita
Vipereamque luem spumam tarantulæ avernam.
Tum post litatas publico curas bono
Ad nostras facitote oras remeare valentem,
Novaque luce gloriæ ornatum Virum.
Quod si fata volunt: Francisci munere functi
Franciscus alter subeat, optamus, vices.

O D E

Ad eosdem Genios Tutelares.

Quæ species rerum tacitæ penetralia mentis
Subeunt? vigilone? an sensuum usuram eripit
Morpheus illudens portis ingressus eburnis?
Discedere bifidos video hiatu polos,

Atque coruscantis reserato limine templi
Ruere procellam lucis insolitæ auream,
Delabique sacrum pennis radiantibus agmen
Hærere promptum lateri adornantis viam.
O Superi! ô hominum custodia certa! beatæ
Mentes, amicum commodis nostris genus:
Summum thesaurum vobis Litvania credit,
Illustre sidus, columen & decus suum:
Non vos tutelæ pigeat curæque fidelis,
Haud cassus hic erit præmio digno labor:
Nulla dies nobis vestra sine laude volabit,
Nullaque rotabitur hora benefacti immemor.
Nos vestram teneris spargemus floribus aram,
Placidis ligustri nivibus & dulci thymo:
Addemus primas violas imbremque rosarum
Liliis remixtum & purpuream hyacinthi comam.
Vos & odoriferi myrrhæ thurisque vapores
Nataque Sabæo nubila è fumo tegent.

ODE

Ad Divum Stanislaum Kostka.

Flos juventutis violate nunquam
Cypridis fœdæ manibus nefastis,
Dive, Kostkarum jubar, & Polonæ
Gloria gentis.

Dum fugis vani bona fluxa mundi, et
Curris ignotæ vagus hospes oræ
Ad Latii septem gemino superba
Mœnia colle:

Dicitur Phœbi speculator ales
Inter anfractus dubios viarum
Prodromis pennis iter indicasse
Quo sit eundum.

Fertur & vasti prope cum stetisses
Fluminis lymphas, olor adnatasse

Æolo promissa imitatus alîs
Vela repandîs:

Hacque tu vectus rate inusitata
Invios amnis secuisse fluctus,
Ac in adverso posuisse siccas
Littore plantas.

Kostka Romani peregrine regni!
Fac, bonis pergens avibus Viator
Italos visat, repetatque Lechîam
Alite fausto.

O D E

Diræ in Hyemem.

Quo te nefasto nomine nuncupem?
Pars annuarum pessima partium,
Dura, aspera, efferata bruma,
Quarta soror Furiis adaucta,

Exangve monstrum, pallidius truci
Colore mortis. Tu Rhodopes jugo
Jnter pruinæ grandinumque
Egelidos recubas acervos.

Tibi cruentum cor glacie riget,
Hirsuta acutis stat coma stiriis:
Si quando respiras, de hiante
Ore furens Boreas, Notusque

Erumpit atrox, regnaque pervolans
Late nocentem dissipat halitum:
Te rheuma tetrum, et rauca tussis,
Te febrium macilenta turba

Ambit parentem. Te furiosius
Nil, nil inertîus, nilque voracius.
Jungit juvencos Ver, aratro et
Vertit humum, facilique semen

Mandat saburræ: flavicomos volat
Æstas per agros, falcibus & manu
Urgens laborem: Autumnus uvas
Sole coquit, lacrymasque dulces

Pressis racemis eliquat, haud sine
Sudore multo: bellua sola tu
Ignava stertis, & quod anni
Tres sociæ peperêre partes,

Absumis altæ more voraginis,
Harpyia terris exitiabilis.
Mox ut profudit te maligno
Ursa ferox Aquilone sponso,

Avertit ora, & raptus ad ultimum
Austrum quadriga Cynthius alite,
A peste fœda se removit,
Et tremulis micuêre flammis

Stellæ paventes: obriguit metu
Constricta tellus, stareque nescii
Amnes steterunt, continentes
In silices abeunte lympha,

Vidisset ac si Gorgonis hispidum
Os tortuosis anguibus; ilicet
Et læta plantarum juventa
Diriguit senio repenti:

Luctuque squallens conticuit nemus,
Algore pulsus frondibus obsitum
Dum limen, & sedes avitas
Destituit Citharœdus ales.

Natura demum tota cohorruit:
Insedit atror livida saucians
Et mortualis pallor ora, et
Pestis iit gelidos per artus.

Hic luxit aures frigore marcidas,
Alter rigentes congemuit manus,
Incautus ille dum cucurrit,
Irriguo glaciale marmor

Sparsit cerebro; turbaque plurima
Intenta lucris & male credula

Ponti doloso, absorpta averno est,
Dum vitream pede pulsat undam.

Tam dura terris bruma creans mala,
Adhuc moraris? nec fugis ultimam
Ad usque Thulen, Lapponemve,
Progenies furiosa Ditis?

Excede mundo bellua: concide
Phœbi sagittis icta micantibus,
Aut hausta nimborum procellis
Naufragio geme dira facto.

Aut ludibundis trusa Favoniis
Præceps ad imum deflue tartarum
Auctura cœnosas, fluentîs
Hospitibus, Phlegetontis undas.

Novum virentes Ver nitidis comas
Vinetum corollis, Chloridis areas,
Et picta pratorum theatra
Calce premat Zephyros sequente:

Ac flore lecto conserat asperos
Tractus viarum, ter jaciat rubrum
Nimbum rosarum, ter thymi, ter
Innocuam casiæ procellam;

Per sparsa lætus lilia, & aureos
Croci capillos, per violaria,
Albosque narcissorum acervos
Carpat iter Latium Viator!

Epigrammata.

In Ignes festivos in Urbe Metropoli Varsavia excitatos die Coronationis Stanislai Augusti *Regis Poloniarum.*

I.

Anne ego Ulysseis lucentia Pergama tædis
Vidi, cum cæca est nox imitata diem?
Trojugenum sedes, nostra quàm distat ab Urbe,
Tam longe dispar ignis uterque fuit.
Ille fuit populator opum, domuumque ruina,
Rerum pestis edax, ignis hic innocuus.
Illúm grassari jussit furor imperiosus,
Fecerat accendi hunc ingeniosus amor.

Toż samo.

Czym widział iasną Troię od greckich płomieni,
Gdy świeciła Warszawa pośrzod nocnych cieni?
Iak dalekie siedlisko Troi od Warszawy,
Tak tamten i ten ogień był różney postawy.
Tamten po wszystkich domach wszystko trawiąc chodził,
A ten ogień niewinny nikomu nie szkodził.
Tamten ogień wznieciła ięda zapalczywa,
A ten miłość dowcipna i Panu życzliwa.

II.

Nox erat, & festis lucebant omnia flammis,
Ac tota Urbs unam visa referre facem;
Augustæ micuere ædes, micuere Deorum
Templa, & cassa fuit lumine nulla domus.
Solem credideris retro flexisse jugales,
Et raptam noctu restituisse diem.
Quàm placidi lætique dies hoc Rege futuri,
Si tantum lucis tetrica nox habuit!

Toż samo.

Noc była, a tu ogień tryumfalny niecą,
I staie się Warszawa iedną wielką świecą.

Zaiaśniały pałace, i święte Kościoły,
Ozłocił wszystkie domy ognia blask wesoły.
Rozumiałbyś, że słońce cofnąwszy karocy
Przywraca dzień zabrany podczas ciemney nocy.
Sądź, iak iasne nam będą dni za tego Pana,
Kiedy w tak wielkie światło była noc przybrana.

III.

Augusti causâ, quæ non miracula patret,
Si noctem in lucem vertere possit, amor?

Toż samo.

Jakiego dla Augusta nie uczyni cudu,
Kiedy noc w dzień zamienić może miłość ludu?

IV.

Viderat Istuleis noctu Neptunus ab undis,
Ordine dispositas emicuisse faces.
Tum ratus è subitis crevisse incendia flammis,
Attonito tales fudit ab ore sonos:
Urbs ardet, Superi! si non succurrimus Urbi,
Occidet & magnus tota futura cinis.
Dixerat; & trifido concussit flumina sceptro:
Mox excita ruunt cærula turba Dii.
Pars haurire amnem, situlasque explere capaces,
Pars certant magnis ferre fluenta cadis
Fervet opus: Nereique cohors, Nymphæque laborant,
Immemor imperii sudat & ipsa Thetis.
Jupiter interea, solio speculatus ab alto,
Ad pelagi numen talia dicta dedit:
In cassum labor omnis abit; restinguere vestra,
Quas amor accendit, non valet unda faces.

Toż samo.

Spóyrzał Neptun tey nocy z pod wislaney fali,
A oto gęsty ogień w Warszawie się pali;

I rozumieiąc, że to powodź wulkanowa
Burzy miasto; na swoich zawoła w te słowa:
Gore miasto, Bogowie! ieśli nie bronimy,
Sam tylko w mieście popioł, nie miasto uyrzymy.
To wyrzekł, i troyzębem wzruszył Wisłę całą,
I wnet się wiele wodnych bożków wysypało:
Iedni czerpaią, drudzy kadzie nalewaią,
Inni kadziami wodę na górę dźwigaią.
Ni Tryton, ni się Nimfa nie zbrania roboty,
Tetys nawet, choć Pani wód swe leie poty.
W tem Iowisz gdy z górnego tronu rzucił okiem,
Z takim się do Neptuna dał słyszeć wyrokiem:
Nadaremnie pracuią Trytonowie wasi;
Co miłość zapaliła, woda nie ugasi.

V.

Omnia splendor habet. Collucet Palladis aula,
Urbs rutilat, radiat curia, templa micant.
Cuncta colunt Regem: sapientem Palladis aula,
Urbs Patrem, justum curia, templa pium.

Toż samo.

Wszędzie wesołe ognie: iaśnieie Warszawa,
Miasto, szkoły, kościoły, ratusz blask wydawa.
Miasto Króla swym mieni Oycem, mądrym szkoły,
A ratusz sprawiedliwym, pobożnym kościoły.

VI.

Siren Insigne Varsaviæ.

Huc animum atque oculos: nova dat spectacula Siren,
Est inter flammas, quæ fuit inter aquas.

Toż samo.

Zjawiły się widoki nowe: patrz narodzie,
Syrena iuż iest w ogniu, która była w wodzie!

VII.

Invadit subitus nautarum lumina somnus,
Sirenum quoties vox mare pervolitat.
Augusti laudes celebrat dum carmine Siren;
Evigilant omnes, exulat urbe sopor.

Toż samo.

Niespodziany żeglarzom w oczach się sen rodzi,
Gdy się spiewanie Syren po morzu rozchodzi.
Syrena gdy opiewa twe cnoty, nasz Panie,
Wszyscy czuią, sen z miasta idzie na wygnanie.

VIII.

Ad Serenissimum Regem.

Sceptra manum, diadema comas, & purpura totum
Exornat corpus, Rex pretiose, tuum.
Quam partem Vates ornem? pars unica restat:
Subjicio pedibus me, citharamque tuis.

Toż samo.

Berło rękę ozłaca, głowę blask korony,
A zaś cały purpurą iesteś ozdobiony.
Cóż mam zdobić? zostaie to mi, Królu drogi,
I tę lutnią, i siebie złożyć pod twe nogi.

Aliud ad eundem.

A bruma vitam, nomen à principe veris
Purpurei Majo Stanesilaus habes.
Lechiadum diadema tibi deciderat æstas,
Pomifer autumnus regia poma dedit.
Omnia si faveant anni tibi tempora, Princeps,
Nulla tibi ex illis atra futura dies.

Toż samo.

Winieneś życie Królu twe rodząc się zimie,
May, Xiążę wiosny, dał ci Stanisława imie.
Do Tronu Lechów wybór twóy latem się staie,
Iesień zaś z swych owoców iabłkoć Króla daie.
Gdy wszystkie pory roku spieszą tobie służyć,
Godłem iest, że ich wszystkie dni będą ci płużyć.

In insignia Poloniæ, Litvaniæ & Regis: ad Polonos.

Pacis amans, si bella geres Polone: Gradivó.
Propitio spera bella gerenda tibi.
Armigeris Taurus fodicabit cornibus hostem,
Percellet Volucris fulmine, cædet Eques *.

Toż samo.

Gdy boy stoczysz Polaku szukaiąc pokoiu,
Ufay żeć za Strażnika Gradyw stanie w boiu.
Nieprzyiaciela Ciołek swym rogiem przeszyie,
Orzeł piorunem strwoży, a Jeździec dobiie.

Supremo Regni Succamerario Celsissimo Principi Casimiro Poniatovio, *die suo Natali, de clarissima Familia nuper Principum ornamentis decorata.*

I.

Multos cum primum Lucina profudit in auras,
Purpureo natos collocat illa toro.
Si de more fleant: effusos sistere fletus
Propositis Atavum tentat imaginibus.

---

*) *Stemma Familiæ Poniatoviorum:* Taurus. *Stemma Regni Poloniæ:* Aquila *pedissequa Jovis fulminantis. Stemma M. D. Litvaniæ:* Eques cum stricto gladio.

Si lacrymas iterant: dat pulchra crepundia Mitras,
Deciduasque oculis murice tergit aquas.
Magna quidem sunt hæc magnorum munera Divûm,
Munera sunt, inquam, munera non merita.
Obtinuisse Ducum, pulchrum est, cum sanguine Mitram,
Sed meruisse Mitram, gloria maior erit.
Cui fortuna dedit, cum nomine Principe nasci,
Jure minus decoris vendicet ille sibi:
A Proavis, Atavisque dato splendore coruscat,
Ut trahit à Phœbo Luna propinqua jubar.
At quicunque decus propria virtute paravit,
Est laus ad Proavos non referenda suos.
Ipse suæ, veluti Titan, est lucis origo,
Ac ditat radiis astra minora suis.
Hæc tua laus propria est, o stirps præclara Vitelli,
Stirps nuper Lechicis addita Principibus.
Non tibi Majorum, quamvis celeberrima bellis,
Dextera, sed virtus tradidit ipsa Mitram.
Tradidit ipsa Mitram; sic, quæ fuit antea Mitra,
Est eadem meritis facta Corona tuis.

II.

Quis fuerit Vobis genitor, sua facta loquuntur,
Historici scribunt, posteritasque leget.
Ille fuit nuper Lechici lux prima Senatus,
Consilio summus Vir, Patriæque Pater.
Libertatis erat tutor, legumque sacrarum
Præsidium, populi deliciumque sui.
Hostibus ille fuit terror, cui clarus ab armis
Mavors imperium cederet ipse suum.
Sique forum Lechiæ subiissent Tullius atque
Plato, peroptarent illius ore loqui.
Hæc decorat Patrem, Natos eademque decorat
Gloria, nam ad sobolem defluit illa suam.
Sola est à magno vobis non tradita Patre
Ambire excelsos purpura sveta Duces;
Ast & purpuream chlamydem, cidarimque ducalem,
Quam Pater haud dederat, Patria cara dedit.
Patria sola dedit? fallor; dedit hanc Pater ante:
Nam tibi virtutem, quâ mereare, dedit.

III.

Argolicum celeri Jason rate pervolat æquor,
Auratæ ut referat nobile vellus ovis.
Bella cient venti: navemque reflantibus Euris,
In scopulos nautam dira procella rapit.
Ille tamen fretus sociis audentibus, audet
Horrisonum motæ temnere murmur aquæ:
It virtute duce, & navem cum littore Colchi
Jungit, & auricomo vellere dives abit.
Sors multo melior vestra est, o clara propago!
Nobiliora cui vellera nata domi.
Non mare tentandum ratibus, non ultima Colchi
Remis ac velis ora petenda fuit.
Patria terra dedit munus pretiosius auro:
Nam fragiles constans gloria vincit opes.
Undantis populi non obluctante procella,
Cunctorum vobis velificavit amor.
Consensêre Equitum placitis edicta Senatûs,
Vox, quicumque aderant, omnibus una fuit:
Sancimus, volumusque, Duces estote, Ducumque
Purpureum o magni vellus habete Viri!
Sic erit, ut vigeat meliusque calescat ab isto
In Patriam vester vellere fotus amor.

IV.

Ad Patriam de iisdem Principibus Poniatoviis.

Ledæi quoties oriuntur sidera fratres,
Remigibus toties dicitur orta salus.
Oceano pax alma redit, redeuntque faventes
Etesiæ & placidis exspatiantur aquis.
Interea Nautæ zephyris per cærula vecti,
Illæsâ tangunt littora tuta rate.
Non Euri furias, tempestatesque sonoras,
Non saxa, & scopulos Patria cara time.
Nam si servârunt multas duo sidera naves,
Unam non servent sidera bis gemina?
Optima spes! Fratres sunt sidera, navita civis,
Est regnum navis, gloria portus erit.

Ad Andream Młodzieiowski *Prælatum Cancell. Gnesnensem Canonicum Cracoviensem, die suo natali.*

I.

Jessæus Salomon gereret dum sceptra, Parentes
Uno de nato dimicuêre duæ.
Sic de te numerosa cohors concertat honorum:
Hic sibi te poscit, vendicat ille sibi.
Infula sacra petit doctam contingere frontem,
Non quit enim poni nobiliore loco.
Interea Regi fidam rectique tenacem,
Invitant regni pulchra sigilla, manum.
Esse suum fratrem Abbates, Patrumque senatus
Purpureus socium te cupit esse suum.
Tu refugis, nullumque tibi deposcis honorem,
Unusquisque tamen te sibi poscit honor.
Quis tandem judex placidâ certamina pace
Componet? litem Rex Salomon dirimet.

Toż samo.

Gdy Salomon król mądry rządził Izraelem,
Dwóm matkom iedno dziecię było swarów celem.
Tak się właśnie o Ciebie honory sprzeczaią;
Iedne do siebie ciągną, drugie cię żądaią.
Mądrą głowę chce pokryć biskupia korona,
Bo nie może na lepszém mieyscu być złożona.
Do ręki, która tronom wierna strzeże prawa,
Iedna ze dwuch pieczęci wpraszaiąc się stawa.
Opaci, tudzież Senat purpurą odziany,
Usiłuią, ażebyś był ich bratem zwany.
Ty unikasz honorów mąż cudney pokory,
A walczą między sobą o ciebie honory.
Iakże ta walka żwawa ma być zakończona?
Kto rozsądzi? na tronie mamy Salomona.

II.

Sive Abbas fueris, regni magnusve Minister,
Seu tibi præcingat sacra tiara caput;

Quorumcunque dein titulis orneris honorum,
Nostra ad te semper vox erit: Abba* Pater.

Ad eundem, dum Posnaniæ Varsoviæque Antistes primum, dein Regni Cancellarius factus, oblatum suæ Familiæ titulum Principum per modestiam recusavit.

III.

Dum se sponte Viris offerret Purpura supplex,
Gestiretque novos condecorare duces:
Młodziejoviadûm præclara Modestia gentis
Erubuit, nec non talia verba dedit:
Purpura Coa alios orna, mihi sufficit iste
Murex, in facie quem pudibunda gero.

IV.

Quod veniant ad te, Princeps, mea carmina nullis
Illita pigmentis, nec celebrata typis,
Da veniam subitis: non displicuisse meretur,
*Quisquis festinat complacuisse tibi***.

Ad Andream Comitem Zamoyski *supremûm regni Cancellarium.*

Maxime Signator, quamvis facundia nostra
Summa foret, factis est minor illa tuis.
Ore tuo Princeps loquitur, tu Principis ore
Laudaris ***, meritò hæc gloria digna tuo.
Non alio decet ore loqui Regem: & tua virtus
Ore celebrari nobiliore nequit.

---

*) *Abba vox est Syriaca, qua infantes præ teneritudine suos Parentes alloquuntur.*

**) *Martial: lib. de spectacul. Epig:* 30.

***) *Rex Stanislaus Augustus Zamoyscium Regni Cancellarium creans, hujus dotes in Senatu oratione celebrat.*

In avita arma Præsulis Illmi Luceoriensis Antonii Wołłowicz, *in duas nempe Sagittas, unam cælo, terræ alteram obversam.*

I.

Una sagitta petit cælos, petit altera terras:
Utraque Pastorem te notat esse bonum.
Quæ petit ima, lupos tendit configere terris:
Quæ petit alta, gregi monstrat in astra viam.

II.

Obversas terræ cæloque volare sagittas,
Inclyta Præsuleæ cernitis arma domûs:
Impete quò tendant magno, si quæritis? orbis
Est stadium, cursus gloria, meta polus.

III.

Discursant celeres ultro citroque sagittæ,
Suetæ vulnificis ire, redire viis:
Et quocunque suum tentent deflectere cursum,
Sunt illis certus pectora nostra scopus;
Nempe tui causâ geminis configere nostrum
Cor jaculis certant hinc amor, inde dolor.
Pastor ades: quam svave animis est vulnus amoris!
Pastor abis* vulnus grande doloris erit.

Bibliotheca Załusciana ad Illmum ac Rndum Dnum Angelum Durini *Nuntium Aplcum in Regno Poloniæ.*

Angele quid longo surgentia mœnia ductu
Suspicis, & veteres millia multa libros?
Est quæcunque meis tectis comprênsa vetustas,
Hanc tenet alma tuum Bibliotheca caput:

---

*) *Redux in sua visitatâ Diœcesi.*

Id, quod ego vasto complector corpore, Præsul
Docte; tui capitis mole minore capis.
Magna locô magnô, si magnum est claudere: parvô
Claudere magna locô, gloria major erit.

Ad eundem nomine cujusdam Poloni Præsulis, cujus laudes Illmus Nuntius suo eleganti carmine celebravit.

Delicium Lechiæ, Romanæ gloria gentis,
Nuntie Pieriis anteferende choris:
Concedit mea Musa tuæ, Polona Latinæ,
Impar consimili tangere fila manu:
Scilicet arguto dum tractas pollice plectra,
Angele, quis tecum carmine certet homo?

Eidem, cum ipse Augustissimi Imper: Iosephi II. *Romanum iter carmine celebrasset.*

I.

Carmina qui pangis Romano Cæsare digna,
Jure Pòëtarum tu mihi Cæsar eris.

II.

Cæsar abit Romam, Dominum* tua Musa sequetur,
Umbra velut Phœbo suevit adesse comes.
Quidsi Musa citis sese libraverit alis,
Contigeritque prior limina Romulidûm?
Præcurret Dominum: ac radiis aurora coruscis
Prodroma Solis erit, quæ fuit umbra sequax.

*) *Illmus Durini fuit Patritius Mediolanensis ex Comitibus Modœtiæ.*

III.

Audiit Austriaco pulchrum de Cæsare carmen
Musarum lepidis cinctus Apollo choris:
Jam sileant, inquit, Propertius atque Catullus,
Quorum fœdata est Castalis unda luto.
Illorum veneres isto cum carmine confer,
Dices: illa homines, Angelus ista canit.

De Augustissimo Imperatore Josepho II.

It Cæsar Romam, ut videat miracula Romæ;
At Roma in solo Cæsare plura videt.

Ad Principem Carolum Radivilium *Palatinum Vilnen: redeuntem ab exteris regionibus.*

I.

Pectota sunt arcus: hilares spectacula vultus:
Ignes promit amor: Carole fauste veni.

Toż samo.

Serca bramą otwartą; twarz wdzięczne widoki,
Ognie miłość ci wznieci; iedź Xiążę bez zwłoki.

II.

Lemma: Sol collustrans urbes, & varios tractus, cum aviculis circa plurim. volitantibus.

Epigraphe: Redeundo cuncta serenat.

Litvaniæ Vota.

Et redit, & nuper Dux patria deserit arva,
Gaudia præproperis dans, rapiensque moris.
Aureus æquoreis sic sol redivivus ab undis
Purpurea æstivos luce serenat agros.

Nonne ego te nostrum Dux inclyte dixero solem,
Qui populo lætum fersque, refersque diem?
Nonne etiam Josues repetam pia vota precesque?
O fixus nostro sta, precor, usque polo.

Toż samo.

I odbierasz i wracasz nam wesołe chwile
Przez twóy odiazd i powrót wielki Radziwile.
Nie inaczey wychodząc słońce z morskiey wody
Uwesela swém swiatłem pola, i ogrody.
Czyliż nie ty Karolu słońce w mym narodzie?
Co wracasz dzień ludowi przy twym miłym wschodzie.
O niechże wznowię żądze Iozuego: Febie
Stóy, proszę, nie wzruszony odtąd na mém Niebie.

III.

Lemma: Sol oriens & aquila rediens ad suos pullos.

Epigraphe: Primo redeo sole.

Familiæ & Urbis lætitia.

Dum gemit, & densis singultibus aftra lacessit
Orba simul sobole, & Principe, & orba Patre:
Audiit attonitâ clamores Jupiter aure,
Nonque suam nidô cedere passus avem:
I volucrum Regina ait; i meus armiger ales
Fide mihi, Patriæ care, adamate tuis.
Dixit: & aurato solatus lumine, lætam
In patrias sedes ilicet urget avem.
Tantus erat plausus volucrum, tantum agmen, ut inter
Reginas Aquilas dixeris ire Jovem!

Toż samo.

Kiedy płacze Dom cały, i czeladź stroskana,
Ten plemie utraciwszy, ta Oyca i Pana:
Słyszy Iowisz zdumiały rozrzewnione żale,
A niechcąc by swe Orzeł gniazdo rzucał cale:

Idź, rzecze, Królu ptaków, Orle uzbroiony,
Wierny mnie, ziomkom miły, od swych ulubiony.
To rzekłszy, gdy nań rzucił z Nieba promień złoty,
Prędkim Orzeł powrotem uśmierza tęsknoty.
W tem powstaią tak wdzięczne okrzyki, że trzeba
Wątpić, czy z Orłem nie sam idzie Iowisz z Nieba.

IV.

Lemma: Columna cum sua umbra, obversa Soli.

Epigraphe: Respicit & umbra solem.

Minimæ Societatis Jesu felicitas.

Quo graderis, gradior, solem comes insequor umbra,
Teque oriente orior, teque cadente cado:
O nisi longinquis rediisses lætus ab oris,
Esset & in media nox mihi cæca die.

Toż samo.

Chodzę za tobą: obrot twóy mi promień daie,
Przy twym niknę zachodzie, przy wschodzie powstaię;
I gdyby twóy wschód miły odkładały Fata,
Smutną dla mnie byłyby nocą dni i lata.

V.

In festivos ignes.

Anne suas subito nox tetrica perdidit umbras?
Lumina sic pulchram visa referre diem.
Insolitæ fulsêre faces! nonne æmula solis
Lumina ab internis emicuêre focis?
Sic est. O quantæ latitant sub pectore flammæ,
Extra cum tanto ferveat igne domus!

Toż samo.

Czy noc swoich ciemności nagle postradała,
Gdy dzień piękny przy iasnych ogniach widzieć dała?

Czy te światła, które nam noc zgoła odięły,
Z domowych wewnątrz ogniów swóy początek wzięły?
Tak iest: o iakież wewnątrz serdeczne upały,
Które zewnątrz tak wielki blask z siebie wydały!

In Eundem iterum abeuntem.

Sol oritur, rursumque celer discedit ad Indos;
Qui modo venit, abit: sed rediturus abit;
Sic Princeps Corolus magna de stirpe Radivil,
Jam redit, ut fugiat: jam fugit, ut redeat.

Puer Jesus in sinu S. Stanislai *Kostka.*

Quid cogitas nunc Kostule
Tam dulci amoris sarcina
Gravatus in sinu? gemis:
Vel non recedat Jesulus,
Vel tu sequaris Jesulum.

Cuidam Stephano inter Theologiæ Doctores cooptato.

Levitam Stephanum geminæ cinxêre coronæ,
Quas illi nomen, martyriumque dedit.
Te binæ cidares cohonestant; nominis una,
Altera Doctorum cingere sueta caput.
Cum Divo certare tuo dum agnomine gaudes,
Is Protomartyr erat, tu Proto-Doctor eris.

Na wiersze satyryczne przeciwko Królowi.

Coś się ważył na Króla czarnym powstać rymem,
Warteś, aby twóy szpargał poszedł na wiatr z dymem.
Iedneś śmiał wiersze pisać; nie wydaway drugich,
Bo doznasz, iakie maią Królowie, rąk długich.

Na SSch Młodzianków.

Gdy niemowlątka Herodzie zabiiasz,
Wieńce męczeńskie na ich głowy zwiiasz;

Lecz złość twa czyni handel iakiś nowy,
Korony daie, a odbiera głowy.

Illmo ac Reverendissimo Dno Felici Towiański, *ex Ordine Seraphico Min. Conv. post Doctorum laureas & Provinciales fasces Episcopo Carpasiensi, Suffraganeo, Officiali ac Visitatori AlbæRussiæ.*

I.

Præsul docte, tuum trino stephanomate dignum
Gaudet bina modò cingere vitta caput.
Infula Pastorem, Doctorem laurea sertò
Emeritam frontem circumeunte notat.
Jam cidares adsunt geminæ: ne tertia desit,
Hanc tibi, nil dubito, Roma vel astra dabunt.

II.

Quo te præcipuo compellem nomine, care
Præsul, Russiaci Pastor amorque gregis?
Si lance ingenii rationum pondera libres,
Aurelii ingenium dicitur esse tuum.
Ambrosius, si quid loqueris, tibi verba ministrat,
Nectareosque tuo ponit in ore favos.
Te vult Clementem dici clementia; nomen
Remque Bonifacii dant benefacta tibi.
Mens invicta malis te nuntiat esse Leonem,
Te Musæ Damasum, te pietasque Pium.
Te Bonaventuram venerarda modestia monstrat
Cum placido Charitum consociata Choro.
Sic dum virtutes multorum colligis: in te
Uno non unus Præsule Præsul adest.

III.

Quæ commissa tuæ, Præsul, Provincia curæ est,
Albens à nivibus Russia nomen habet.
Quid? si diffugiant Phœbo vincente pruinæ
Nigranè dicetur, quæ priùs Alba fuit?

A candore animi, quem, Vir decorate tiaris,
Illa tibi debet, candida semper erit.

Ad Perillustrem Rndum Dominum Josephum KRYNSKI *Canonicum Livoniæ, Decanum & Præpositum Bobruyscensem, omnium Societatis meritorum à Laurentio Ricci Præposito Generali participem factum.*

I.

O! mihi sexcentos inter venerande sodales,
Et præ sexcentis unus amate mihi.
An ego te Fratrem dicam? Patremné vocabo?
Et Patris & Fratris nomen utrumque tenes.
Roma suô scriptô te Fratrem nuntiat esse:
Gratia, quam præstas, te notat esse Patrem.
Hinc dum te Fratres Fratrem, natique Parentem
Diligimus, gemino nomine crescit amor:
Crescit amor noster, tua quem benefacta rigârunt:
Sic oleô affusô crescere flamma solet.

II.

Niliacus populus Josephum accedere jussus
Sicut lætus adit, sic quoque lætus abit.
Dum te convenio, dum te, Josephe, relinquo,
Sors est consimilis, dissimilisque mea.
Te quoties adeo, lætor: quotiesque, Josephe,
A te abeo, mœror pectora nostra subit.
Ite ad Josephum: mihi sunt lætissima verba;
Ite à Josepho: tristia dicta mihi.
Ite à Josepho, celeres conscendite currus,
Friget equus, pariter frigeo, vector ait.
Ite à Josepho, Beresinas linquite ripas,
Pronus ad occasum Cynthius ire jubet.
Ergo Bobruyscensi tandem discedere terrâ,
Et peracerba opus est dicere verba: vale.
Jam, Prælate, vale, mihi non visende per annum!
O durum, cordi vulnificumque *vale!*
Ista tamen miseris aderunt solatia rebus,
Quod sejunctus ero climate, non animô.

Sic abeo, sic à te, care Josephe, recedo:
Ut mea sit semper mens sociata tibi.

Do I. W. Imć Pana Michała Łopota Bykowskiego Starosty Bobruyskiego, Strażnikowicza W. X. Litt.

Młody Panicu, który lat niewiele liczysz,
A oycowskie urzędy przed czasem dziedziczysz:
Za życia Oyca wziąłeś bobruyskie Starostwo,
Dobry Oyciec chce tego, bierz i Strażnikostwo.
Bądź Strażnikiem, strzeż wiary, strzeż kwitnącey cnoty:
Przy wierze i przy cnocie będziesz miał wiek złoty.
Tak uczyń, aby była twa szczęśliwość długa,
I radzę iako Kapłan, i życzę iak sługa.

Ad quemdam Pöëtam.

I.

Syllo-tibi-gismum mitto, lepidissime Vatum,
Perlege, cognosces, quid velit ille sibi.

II.

Quo se fortuna, eodem etiam favor hominum inclinat. Justin. lib. V.

Vidi ego, dum nuper Tyrio rosa murice florens
Spargeret auratas imperiosa comas:
Ecce Hyblæarum mellifluа turba volucrûm
Stipabant florem dulce sonante choro.
Ast ubi vis Boreæ rapuit decus omne rosarum,
Deciduos flores nulla revisit apis.
Tum tacitus mecum sic dissero: floris honorem,
Non florem coluit mobile vulgus apum.

III.

Apum & Musarum comparatio.

Sunt sua mella apibus, sunt & sua mella Camœnis:
Copia non putridi floris utrisque placet.

Est proprium Musis argutæ mentis acumen,
Et sua subtilis spicula figit apis.
Propitio veniunt Musarum carmina Phœbo,
Exantlatur apum, sole favente, labor:
Utque creatrices mellis cantando laborant,
Sic Musis non est absque labore canor:
Dumque canunt Musæ, permiscent utile dulcì:
Utile cum dulci iungere, munus apum est.
Utraque gens optat celsi fastigia montis:
Parnassus Musas, Hybla moratur apes.
Diligit arboreas scenas apis atque Camœna,
Hæc lauros, tilias vendicat illa sibi.
Quod si ita: Castalias inter castasque Sorores
Non postrema locum virgo tenebit apis.
Nomina nec distant: fuerit si littera dempta,
Musa statim fiet, quæ modò musca fuit.

IV.

His ex præmissis, Vates, intellige, quònam
Tendant, quemve scopum carmina nostra petant.
Si Musas apibus sociat concordia tanta,
Vestraque florilegam Musa imitatur apem:
Infer & ex liquidò notis ignota require;
Hac ratione tuus fiet Apollo Sophus.

Electo in Præpositum Provinciæ Polonæ Ordinis Prædicatorum Reverendissimo P. Martino Rucinski.

I.

Cum te de multis legerent, multisque regendis
Unum præficerent lecta corona, Patres,
Abjecêre nigros, niveos sumpsêre lapillos:
Nempe tuæ vitæ congruit iste color.

II.

Alluditur ad S. Patriarchæ Dominici frontem stellâ signatam.

Cum de stellifero soboles prognata Parente
Vendicet astrorum nomina, remque sibi,
Jam verum est illud: *Sapiens dominabitur astris:*
Nam parent jussis astra minora tuis.

III.

Sarmaticas fervet contentio magna per Urbes,
Hæc sibi Martinum vendicat, illa sibi.
Jam sua Martino Gedanum mœnia pandit,
Jam portas aperit Regia magna Craci;
Jam populis undans, strepituque celebre forensi
Lublinum, Patrem sub sua tecta vocat;
Et quæ Bresta bibit labentis flumina Bugi,
Adventum Martini irrequieta sitit:
Urbibus haud cedit reliquis Varsavia Princeps,
Nempe suo quondam digna Priore frui.
Talia dum Polonæ Urbes certamina miscent,
Plocia turritum protulit alta caput;
Atque ait: o Superi, litem sic tollite, ut ille
Provintiam regat, sed Plociæ degat.

IV.

Qui Martine refers invictum nomine Martem,
Ut meritis annos, sic annis sæcula vince.
Istud amicorum votum est, hæc vota clientûm.

Rmo Patri Martino Załuski *primùm Antistiti, dein Societ. JESU Religioso.*

Te, Divumque tuum, de cujus nomine gaudes,
Effecit parili munere vita pares.
Ille prius meruit duri stipendia Martis,
Tum Præsul factus, qui modo miles erat.

Tu Martine Ducis Lojolæ signa secutus
  Es subito miles, qui modo Præsul eras.
Dum geminum recolent Martinum sæcula dicent:
  Miles uterque fuit, Præsul uterque fuit.

Ad Regem Stanislaum Augustum *amatorem Litterarum.*

Barbaricus Scythiæ Mavors, cui luna cruento
  A nece Christicolûm, lumine sæva rubet;
Jam multis Helicona tenens dominator ab annis,
  Sanguine Castalias contemeravit aquas.
Fecit, ut Àonius lucus pietate sacratus
  Ausu sacrilego cædua silva foret;
Et qui Phœbea decerpti ex arbore rami
  Gaudebant doctas implicuisse comas,
Post hæc Threicio truculento cæde latroni
  Stultitiâ crudæ præmia frontis erant.
Plurima pars nemoris quondam dilecta Camœnis
  Cum fumo ventis cessit adusta foco.
Nullus honor citharæ fuerat, clangoribus æris
  Odrysii latè perstrepuêre loca.
Hinc Musæ, tranquilla cohors, excedere terrâ
  Aoniâ, & sedém quærere adacta novam.
Tu Rex, quam pepulit Biston Helicone catervam,
  In tua regna vocas, consociasque throno.
Ad te dum veniunt Græcæ de Phocide Musæ,
  Græcum cum Musis imperium veniat.

Przy kolebce J. O. Xiążęcia Adama Szczęsnego Konstantego Czartoryskiego, *dnia* 15 *Stycznia* 1770.

I.

Przy krzcie wodnym nadana troiakość Imienia
  Iest źrzódłem, skąd pochodzą troiakie życzenia;
Wszyscy życzą: niech Adam będzie długowieczny,
W każdem zdarzeniu szczęsny, a w szczęściu stateczny.

II.

Gdy się przy brzegach morskich lęgną Alcyony,
Wód gwałtowność uśmierza Neptun uciszony.
O miły Zimorodku! co się rodzisz w zimie,
Uspokoy tę nawałność, którey woyna imie.

III.

Pośrzod gromów woiennych Xiążę swiatu wschodzi,
Wtenczas się, gdy pioruny biią, perła rodzi.
Tak iest, tyś perłą Xiążę nowonarodzony,
Będziesz ozdobą mitry, i polskiey korony.

Latine idem.

Bella tonant, Princeps Polono nascitur Orbi:
Nasci, dum resonant fulmina, gemma solet.
Gemma tu es ipse puer, decus inde biforme futurum
Regum sceptra trahent, et tua mitra ducum.

Admonet Adamum Pòëtam læsi pedis in versu.

*Integer obscænis vitiis inhorruit Orbis**,
Ipsa suo vitio nec tua metra carent.
Ut ruit in præceps scelerum sub pondere mundus,
Sic prolabuntur carmina læsa pede.
Jam quis forte rogat: tantæ quæ causa ruinæ?
Subjicio rebus consona dicta suis:
In mundo si quid peccatur, si quid in isto
Carmine peccatum est: author Adamus erat.

---

*) *Versus Adami.*

Ad alium Pöëtam.

I.

Leucæ sunt longæ, brevitas est summa dierum,
Hos produc, illas corripe facque breves*.
Id si præstiteris, magnus celebrabere Vates,
Quin Princeps vatum tu mihi Phœbus eris.
Tu mihi Phœbus eris: nam sunt hæc munera Phœbi,
Produxisse dies, & breviâsse vias.

II.

Tu nisi corripias, quod corripuêre Pöetæ,
Ipse dehinc a me corripiendus eris.

Ad Equites Polonos, quos Paulus Mako Philosophus & Pöeta Germanus vehementer carpsit, in suis Elegiis Budæ typo impressis.

Poloni Cives, regni gens libera nuper,
At nunc Cæsareo jussa subesse throno:
In vos quæ scripsit vates de stirpe Sophorum,
Sunt ea mordacis carmina plena salis.
Exilium canit ille suum; subscribite: namque
A vero in metris exulat ipse suis.

Ad quemdam exteræ Potentiæ Ministrum ad patrias oras redeuntem.

Ergo non mutanda stetit sententia menti,
Ut celer ad patrios regrederêre lares;

---

*) *Alludit ad circumstantias Pöëtæ, syllabas longas corripientis, corripiendas producentis; qui carmen suum scripsit, dum esset viator per Masoviam, ubi leucæ sunt longissimæ; Mense autem Decembri, quando dies sunt brevissimi.*

Ergo tibi Lechici sedes pulcherrima regni
Densaque amicorum displicuêre cohors?
Te magni Proceres magnum dixêre Ministrum,
Et docti doctum te coluêre viri.
Quisquis erat, qui te Vir præclarissime novit,
Ille tibi fidus semper amicus erat.
Interea dum te cuncti venerantur & ornant
Laudibus, è Lechia tu meditaris iter.
Sic faciunt volucres, quoties trux bruma recurrit,
Ad tepidas remeant sole calente plagas.
Tu pariter repetis calidas à sidere terras,
Dum nobis mater frigoris instat hyems.
Fac imiteris aves, quæ duro frigore pulsæ
Ad nos cum placido vere redire solent.
Si tibi decretum est, nostro discedere tandem
Climate, lætus abi, sed rediturus abi.

Celssmo Rdssmo Vilnensium Antistiti MASSALSKI *inter Principes relato.*

I.

Quam bene Præsuleæ consentit mitra tiaræ,
Ut cupiant sacro vertice stare simul!
Et quidni geminas caput una fronte coronas
Gestet, quod meritò ferre triregna potest?

Toż samo.

Dobrze mitra z biskupią infułą się zgadza,
Gdy chętnie iedna z drugą razem się osadza;
Przecz nie ma bydź tey głowie wieniec podwoiony,
Która trzy może dzwigać Papieskie korony?

II.

Sacratæ chlamydis violæ tua, maxime Præsul,
Brachia texerunt, muricis ante rosas.
Nec miror violam cocco præîsse ducali:
Purpurei viola hæc primula veris erat.

Toż samo.

Ozdobiły cię Xiążąt różowe szarłaty
Po fiiolecie później kilkąnastą laty.
Że poprzedził fiiolet, ktoż się dziwić może?
Wszak wprzód kwitną fiiołki, aniżeli róże.

III.

Debuerat pridem virtute vocante venire
Purpura; quod sero venerit, illa rubet.

Toż samo.

Na rozkaz cnoty prędzey przyyśdź powinna była
Purpura; iuż się wstydzi, że się opoźniła.

IV.

Ad Mitram

Mitra, Ducem decoras simul, et decoraris ab illo,
Ut pretium a gemmis aureus orbis habet:
Nempe super quo concefsum tibi figere sedem,
Est caput hoc alti consilii specula,
Regia justitiæ, patriæque est ara salutis,
Musarum templum, relligionis apex.
Hac ubi virtutum celsa super arce locaris,
Evadis titulis celsior ipsa suis.

Toż samo.

Mitro, Xięcia oświecasz, razem oświecona
Od niego iesteś, iako od pereł korona.
Na którey głowie twoia iest siedziba nowa,
Ta rad mądrych bezpieczną strażnicą iest głowa;
Iest praw twierdzą, obroną dobra wszystkich społem,
Pobożności altaną, mądrości kościołem.
Kiedy cnót tak wysokich koroną się staiesz,
Wyższy tytuł odnosisz, aniżeli daiesz.

V.

Ad Celsm Principem juvenem Massalski Thesaurarii Curiæ Filium.

Cara Ducum soboles præclari sanguinis hæres
Unice, gentis amor, flosque decorque tuæ:
Abstulerant unum tibi fata sinistra Parentem,
Obtulerant alium sidera dextra Patrem:
Ille tibi vitam dederat, dedit alter honorem,
Ille hominem genuit, Principem at iste creat.
Dum facit, ut vitæ melioris luce fruaris,
Qui fuerat Patruus, fit Pater ipse tuus.

Toż samo.

Wielkich domów potomku, dziedzicu iedyny
Krwi prześwietney, a krasny kwiecie twey rodziny:
Iednegoć oyca ścięła sroga śmierci kosa,
Drugiego oyca dały łaskawe niebiosa:
Tamten człowieka rodząc, dał ludzką naturę,
A ten Xiążęcia tworząc dał świetną purpurę:
Gdy to sprawił, byś życie miał w takiey ozdobie,
Który był naprzód stryiem, stał się oycem tobie.

VI.

Ver tibi purpureum est in primo flore juventæ,
Emeritis Princeps addite Principibus.
Si tibi tam pulchre juvenilis floreat ætas,
Quantos jam fructus cana senecta feret?

Toż samo

Masz w pierwszym twych lat kwiecie wiosnę purpurową
Do dawnych Xiążąt Xiążę przyłączony nowo.
Ieżeli twóy wiek młody tak pięknie rozkwita,
W jakież owoce starość nie będzie obfita?

Do JW. JX. Józefa Proszyńskiego wprzód Jezuity, potém za zniesieniem Zakonu Biskupa, przy zwróceniu mu dawnieyszego Orderu.

I.

Gwiazdy z oczu znikaią, znowu smutną nocą
W kir obleczone Niebo swoim blaskiem złocą.
Twa gwiazda, co się skryła pod czarnym obłokiem
Znowu weszła, i miłym iest dla nas widokiem.
Cóż stąd wróżyć możemy? gdy ta zorza świeci,
Dzień iaśnieyszych honorów Józefowi wznieci.

II.

Trzy Króle gwiazda dziennym i nocnym obrotem
Prowadziła z kadzidłem, z mirrą i ze złotem:
Za tą gwiazdą, którą masz z królewskiey ofiary,
Niech w dom zacny Proszyńskich wchodzą takież dary:
Kadzidło, sława; złoto, biskupia korona;
I mirra, czerstwość zdrowia wiekiem nie skażona.

III.

Dawnemu Józefowi był to widok miły,
Gdy zgromadzone gwiazdy we śnie go uczciły*;
My też coś podobnego widzimy na iawie,
Że świetna gwiazda służy ku Józefa sławie.
Ale to iedna gwiazda: gdzież są dziesięć inne?
Temi go uszanować Niebo będzie winne.
Józef lampą oświeca niebieską królową,
Ta gwiazdami uwieńczy głowę Józefową.

---

*) *Patryarcha Józef we śnie widział, iż mu się iedenaście gwiazd kłaniało. Gen. 37.*

IV.

Stella tibi virtus: quàm recto trâmite tendis!
A stellis distat non procul ipse polus.

Z okoliczności Breve Klemensa XIV. na zgąszenie Zakonu.

Wzrusza wiatr morze, niebo się zachmurza,
Przemaga sztukę flisów silna burza;
Nawę mą straszna nawałnosç uniosła;
Płynę bez żaglów, bez masztu, bez wiosła:
Rzekłbym, odemnie wszyscy uszli w stronę,
Tylko niewinność zemną, z nią utonę.
Ale niewinność iest iako oliwa:
Acz tę ponurzysz, wnet na wierzch wypływa.
Niech ią wód ciężar nurtem na dno gniecie,
Ta nad strych wody wynurzysię przecię.
Czekaymy chwilę: okręt skołatany
Stanie u portu, i wzmocni swe ściany.

Vota dispersæ Societatis Jesu pro liberatione A. R. P. Laurentii Ricci è Castro S. Angeli, in creatione Summi Pontificis PII VI.

Petrus quidem servabatur in carcere, oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad DEUM pro eo... et ecce Angelus Domini astitit. Actor. c. 12.

Clavigerum cæli dum cæcus carcer haberet,
Christicolûm supplex turba precata DEUM:
Redde, DEUS, Petrum: rectorem redde carinæ,
Pastoremque gregi, pignoribusque Patrem.
Tum subito genius cælo demissus ab alto
Pergit captivo demere vincla Petro.
Ille gravi pariter somno ferroque ligatus
Evigilat, rupta compede liber abit.
Quæ miranda olim spectacula viderat orbis,
Temporibus nostris hæc renovanda cupit:

Laurenti, qui te post anxia vota tuorum
.Eximat à vinclis, Angelus* ecce venit.

Tempus breve est... præterit enim figura huius mundi. Ep. ad Cor. cap. 7.

Motyl w złotawe cętki, łazur i szarłaty
Przybrany wleciał między ogrodowe kwiaty.
Iam się w ten czas przechadzał po tymże ogrodzie,
I dostrzegłszy owadu w tak stroyney urodzie,
Zbliżyłem się chcąc bawić oczy tym widokiem,
Gdy wsrzód kwiatów on buiał pasąc się ich sokiem.
Zwiedzał w koło ziołami osadzone grzędy,
Latał gdzie własnych chuci niosły go zapędy:
Niespokoyny na wszystkie obracał się strony,
Iuż się spuszczał na szpaler wiosną umaiony,
Iuż róże i fiołki miiał górnym lotem,
I w gęstych krzewin cieniu ukrywał się po tém.
A gdy skrzydełek ruchem tam i sam się rzucał,
Uśpione na powietrzu zefiry ocucał.
Znużony wreszcie, kiedy przysiądzie, oddycha,
I z srebrnego narcyssów sok piie kielicha,
Alić nagle z obłoczku deszcz lunął obfity,
I motyl między brozdy upada zabity.
Tu mi błyśnie myśl wyższa: motyl iest obrazem
Zywym ludzkiego życia i nauką razem.
Czyż iaka na tey ziemi rzecz może bydź stała?...
Motyl wzór, że ust ludzkich marna nader chwała;
Motyl wzór, że są próżne w zbiorach ziemskich znoie;
Motyl wzór, że roskoszy po chwili schną zdroie;
Motyl wzór, że z dostoieństw człowiek pyszny spada;
Motyl wzór, że w uciechach iest rospustnym zdrada;
Motyl, iż zamknę słowem, iest cała treść świata,
Bo ten, i życie nasze, iak motyl ulata.

---

*) *PIUS VI. Pontifex, ante Joannes Angelus Braschi, ex arcta custodia transtulit ad nobiliora et liberiora conclavia Laurentium Ricci Gnrlm Scttis.*

In aureum numisma, quo Pòëta à Rege Stanislao Augusto *fuerat donatus.*

I.

Sol quidquid radiis aspectat, semper inaurat:
Rex Auguste, pari tu ratione facis.
Cum me respicias, fulget mihi vultus in auro:
Ingenium solis quis neget esse tibi.

II.

Quò nitor hic? quorsum quæsitum lumen ab auro?
Rex, tua præsidii sufficit umbra mihi.

III.

Collaudent alios alii, mihi maxima laus est,
Optime Rex, laudes promeruisse tuas.
Quid? merui? fallor: potius tu, maxime Princeps,
Dum pergis parva extollere, magna facis.

IV.

Aurum nonnulli mutum dixêre metallum:
Nescit enim tremulos ingeminare sonos.
Os vultusque meos, Princeps, effingis in auro,
Materiesque tuum muta loquetur opus.

V.

Perbene me novi, mihi mens est plumbea: tu Rex,
Et caput ex auro fingis, et ora mihi:
Si tanti est plumbum: jam, Princeps, aurea quanto
In pretio virtus debeat esse tua?

VI.

Si laus est dulcis, si res est utilis aurum:
Omne tuli punctum: Rex miscuit utile dulci.

VII.

Ars & materies certant in imagine: quænam
Harum dicenda est, eminuisse magis.
Materiam superavit opus: sed gratia Regis
Ipsum quantumvis nobile vincit opus.

VIII.

Ignivomis opifex aurum conflare caminis
Tentat, & admotis follibus urget opus.
Omnibus artificis conatibus obstitit aurum,
Ignarum flecti, duritiæque tenax.
Ille tamen pergit rigidum mollire metallum,
Et magis incensis excruciare focis.
It labor in cassum, duratur in ignibus aurum,
Ergo malleolos expediisse juvat.
Tunditur infelix aurum, versatur in omnes
Partes, artifici percutiente manu:
At minime cedit, geminatos despicit ictus,
Sub multo informis verbere massa jacet:
Ac dein impatiens acres exarsit in iras,
Hisque fabrum, fertur, commonuisse sonis:
Quid me discrucias, tortor, flammisque peruris?
Hos nullo merui crimine ferre rogos;
Suevi ego magnorum Regum simulacra referre,
Relligiosa nigri quò mihi forma viri?
Quò mihi forma viri, qui claustri deditus umbris
Terrigenûm rutilas temnere jurat opes?
Excre quamtumvis vires, non pareo; talis
Non est divitiis apta figura meis.
Dixerat. Ast opifex instat: mollesce metallum,
Subque meis flammis ad mea vota flue:
Qui mandat, Rex est. Extemplo paruit aurum,
Paruit, & subito fusile fluxit opus.

Omnia si parent auro, si paruit aurum
   Regi: cuncta suâ Rex ditione tenet.

Ad Musas Dunæ Polotæque accolas.

I.

Dunaides Musæ, Phœbo carissima pubes,
   Batoreô residens turba canora jugô,
Vos, quibus Aonium serpit per tempora sertum,
   Et pingit tenero flore juventa genas:
Vos, quibus ingenii vires vivacior ætas,
   Et vegetus calido flumine sanguis alit:
Vos hilares, rapido saltû transmittite colles,
   Quos prælabenti fonte Polota lavat;
At verò celsos Batoreia culmina montes
   Scandere nequicquam tentet Apollo senex.

II.

Non ego Parnassum meditor, non fila canora,
   Non nemus Aonium, laurigerasque comas:
Fila rapit Lachesis: mihi jam pro monte bicolli
   Collis erit tumulus, laurea taxus erit.

Poëta ruri hospitans ad amicum.

I.

Quid mediter, quid agam? placidissime quæris amice:
   Quid mihi sit curæ, candidus ajo tibi.
Cursu prata lego, manibus lego lilia, ripas
   Lintre lego: ruri sic lego semper ego.

II.

Dulcia claustra mihi nuper, modo dulcia rura:
   Dulcia rura minus, dulcia claustra magis.

Effigies P. Concina cum hac inscriptione:

„Tu vindex morum, teque increpitante libido
„Prava ruit, nullum majus in orbe decus.

In hanc inscriptionem.

Majus in orbe decus nullum, quam Concina Doctor:
Ergo nec Alberto, nec minor ille Thoma?
Hæc si dicta neges, pariter tua dicta negabis,
Quod non sit majus Concina in orbe decus.

Ad Mausoleum CATHARINÆ II. *Imperatricis Rossiarum*

Inscriptio *.

Hic jacet Imperii culmen CATHARINA secunda:
Armis edomuit Turcas terraque, marique;
Ottomani dura Crimeam compede solvit,
Nigri reclusit Rossis imperia Ponti,
Divitiis urbes, ditiones urbibus auxit,
Protulerat regni fines, inclaruit orbi;
At postquam vixit, cunctorum vivit in ore:
Larga, potens, sapiens, clemens, celeberrima, felix,
Arbitra regnorum, regum formido; togæque,
Martis remque sciens. – Utinam foret inscia mortis!

*) *P. Michaël Korycki paravit mature hoc Epitaphium, ut quam viventem Dominam plurimis celebrasset carminibus, etiam in casu si moreretur ipse prius, nollet eandem post se morituram à se non laudatam relinquere. Prostat scheda horum versuum moriturientis, ut apparet, Poëtæ in suo ultimo morbo, tremente manu, vacillantibusque litteris scripta. Re ipsa Poëta citius extremum diem clausit, quam Imperatrix.*